

act. Nr. 229

M. W.

Tossanis, D.

n. 5. raiture Schriften.

K. III. 19.

3
1
ORATIO FVNEBRIS,
de vita, & obitu,

REVERENDI ET
CLARISSIMI VIRI, PIETATE, ERV-
DITIONE, SAPIENTIA, ET VSV, ATQVE
*experientia rerum, Præstantissimi, D. Jacobi Andrea, sacrosanctæ
Theologiae Doctoris, & Professoris celeberrimi, & incompara-
bilis, Academiae Tubingensis Cancellarij, & Præpo-
siti Ecclesie dignissimi, Habita,*

A,

JACOBO HEERBRANDO, S. S. THEOLOGIAE,
Doctore, & Professore in Academia Tubingensi, Collega ipsius.



T V B I N G A E,
Apud Alexandrum Hockium, Anno 1590.

VERA ET VIVA IMAGO REVE-
RENDI ET CLARISSIMI VIRI, DOMINI
Jacobi Andreae, sacrosanctae Theologiae Doctoris & Profes-
oris celeberrimi, Ecclesiae Tubingensis Praepositi, &
Academiae Cancellarij dignissimi.



2

REVERENDIS, ET CLARISSIS
MIS VIRIS, PIETATE, VIRTUTE,
Eruditione, & sapientia præstantibus:

Domino Baltassari Eifengrein I. V. D. celeberrimo,
Illustrissimo Duci Vvirtembergico à consilijs, & Consi-
storijs Ecclesiasticis Directori solertissimo.

Domino Iohanni Harpprecht I. V. D.

D. Iohanni Iacobo Frey, } Medicina doctoribus.

D. Ulrico Andrea

Domino M. Iacobo Andrea, Pastori Metzlingensi.

Domino M. Iohanni Andrea, Pastori Herrenbergensi
& vicinarum Ecclesiarum Superintendententi.

Domino Danieli Andrea, Scriba in Cancellaria VVire-
tembergica.

Domino Magistro Martino Planck, Pastori in Hausen
ad Nicrum.

Domino Antonio Schveikhard, Medicine Candidato.

D. Magistro Iacobo Magaro, Diacono in Biettrigheim.

Reuerendi viri D. D. Iacobi Andreae p. m.
Filijs, & Generis.

Hanc de ipsius vita, rebus gestis & obitu Oratio-
nem funebrem

Officij causa

A se scriptam, & publicè in Academia Tubins-
gensis, cætu frequenti, Februarij 23. recita-
tam: Iacobus Heerbrand D.
dedicauit.

ORATIO FVNEBRIS,



2. Sam. 1.

VM Ionathas, Saulis Regis Israëlitæ
rum filius, Reçtor Magnifice, Baro-
nes Generosi, senatus Scholæ inçlytæ,
Corona ornatissima, in prælio fortis-
ter pugnans pro patria, & Populo
Dei, occubisset: hoc eum David
amicus, Confœderatus, & quasi frater, lugubri profes-
quitur Epicedio, inter cætera dicens: doleo super te,
frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amo-
rum mulierum. Sicut mater vnicum amat filium su-
um, ita ego te diligebam.

Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt ar-
ma bellica?

Elisa quoq; Prophetæ, Præceptore suo Elia, in
turbine, curru & equis igneis in cœlum sublato, erep-
tum sibi à Deo Magistrum deslens, Voce lachrymabi-
li exclamat: Pater mi, Pater mi, currus & equites Israël.

Hoc idem nobis quoq; in communi hoc luctu,
faciendum esse puto. Obijt enim vir summus, & fi-
delissimus non solum studiorum nostrorum Gubernas-
tor, verum etiam Religionis sincera Hyperaspistes,
propugnator & defensor acerrimus: Reuerendus &
Clarissimus vir, Dominus Iacobus Andrea, S. S. The-
ologiae Doctor & Professor, Prepositus Ecclesiæ, &
scholæ Cancellarius dignissimus, de Ecclesia Christi &
hac schola optimè meritus. De huius vita & Obitu.
omisso.

de Vita, & obitu.

omisso Exordio longiori, & absq; affectibus iam sum dicturus. Non expectabitis autem à me Orationem, verborum Lenocinijs comptam & pictam. Nec etiam affectibus refertam, sicut nec de origine & splendore gentilitio, quæ quidem etiam Dei dona sunt & ornamenta in hoc mundo, iam dicam: Verum de rebus eius publicè in Ecclesia gestis, de plantatione, gubernatione, reformatione, instauratione, constitutione, & propagatione Ecclesiarum, de certaminibus, controuersijs dogmatum, & alijs eius laboribus, quos pro Ecclesia sustinuit maximos, historiam, & quidem nudam, proq; rerum magnitudine breuem, recitabo. Quæ tamen de rebus multis, maximèq; momenti docebit, & sic historiam quasi Ecclesiasticam nostrorum temporum, & certaminum præcipuorum, quibus ille dirimendis & componendis, vel præfuit, ver certè interfuit, per annos 44. compendio complectetur multa, & de multis vtiliter monebit. Non dubito autem, quin vel vnam, si fieri posset, & postremam audire ex ipso Concionem cupiatis omnes.

Quia verò hoc negatum est nobis & impossibile: audiatis per, & ex me, ipsum de se loquentem, & totius Vitæ suæ curriculum, labores, quos exantlauit, itinera & peregrinationes, Colloquia, scripta, Disputationes, Conciones, recitantem, (sequor enim in hac Oratione, partim ab ipso factam descriptionē, partim verò Indicem & consignationem in Ephemeridibus annotatam) audiamus inquam eum, æquis animis

A 5 non

Oratio Funeris,

non amplius in hoc mundo visuri, vel audituri, vlti-
mumq; Vale nobis dicentem: hocq; modo postremum
ei pietatis officium præstemus, iustaq; ei faciamus.

Natus est Reuerendus Vir, D. Doctor Iacobus
Andreas in hoc Ducatu Vvirmbergico, oppido
Vvaiblingen, vnde Gibelini nomen habent, anno
Christi 1528. die Martij 25. hora matutina 2. mi-
nutis 30. parentibus pijs, & honestis, Patre Iacobo
Endris, ex Micolau, in ditioe Episcopi Eistettensis
oriundo, cuius Pater Ingolstadtj sepultus est. Et quia
iste artem fabrilem exercuit, hinc in pueritia à coe-
qualibus, Schmidlin dictus est. Cæterum, cum no-
men suum hic apud Rectorem tum, generosum Baro-
nem Arbogastum ab Hevven profiteretur, Iacobum
Andreas se nominauit, & sic etiam in Catalogum stu-
diosorum, Matriculam uocant, relatum est nomen
eius.

Mater ipsius Anna Weisköpffin/ nata Gundel-
phingæ, oppido superioris Palatinatus, ad Iurisdic-
tionem Illustrissimi principis, ac Domini, Domini Phi-
lippi Ludouici, Palatini Rheni, Ducis Bavarix &c.
pertinente, quæ illinc propemodum in infantia, ad
Cognatam quandam Vveiblingam translata est, vbi
adulta, postea marito, parenti D. Iacobi nupta est, ex
quatre suscepit filios, Iacobum nostrum, Georgium,
& Philippum, filiamq; vnam.

Anno 1534. Postquam Illustrissimus princeps
ac Dominus, Dominus Vdalricus Dux Vvirmber-
gicus,

de Vita, & obitu.

gicus, Ducatum suum recuperavit, mutatio Religionis facta est, abrogato impio & Antichristiano Pontificio regno: parentes filium ad studia adhibuerunt. Cum autem tenuioris essent fortunæ, quam ut sumptus ad studia necessarios suppeditare possent, elapsis tribus annis, arti mechanicæ: mancipare eum cogitauerunt, pactiq; sunt cum fabro lignario: sed suasu Consulis Sebastiani Maderi, mutauit parens consilium, filiumq; Studtgardiam, ad D. Doctorem Erhardum Schnepfium, Generalem tum Ecclesiarum huius Ducatus Superiorintendentem, adduxit, quo subsidium ad studia, ex fisco Ecclesiastico, impetraret.

Qui cum eum examinaret, puerum 10. annorum, deprehendit, ingenium illi esse egregium (propter quod ab eo tempore semper eum postea dilexit, & promouit) sed à Ludimagistro neglectum in schola patria. Ideoq; hoc capiunt Consilium, ut Vvaiblingenses ex ærario suo Ecclesiastico, partem aliquam, reliquam pater, contribuunt, eumq; in scholam Studtgardiam mittant.

Regebattum Scholam istam M. Alexander Marscoleon, Vir egregie doctus in literis humanioribus, & ad formanda studia iuuentutis, natus & factus. Quo Magistro, Noster biennij spatio Regulas Grammaticas vtriusq; linguæ, vnâ cum præceptis Dialecticis, & Rhetoricis Philippi Melanthonis, mediocriter addidit.

Quia enim ingenio optimo diuinitus erat ornatus

Oratio Funeris,

is, mox quæ proposita erant, apprehendit, ita ut in Stipendiū Illustris Tubingense reciperetur, Anno &c. 41. Et post biennium, Anno nempe 43. cum alijs Condiscipulis, primæ Laureæ gradum est consecutus, Hirsaugiæ Monasterio, quo Professores artium & Philosophiæ propter pestem hic sævientem, tum concesserant.

Postea anno 45. Tubingæ cum alijs iuuenibus 17. gradum Magisterij consecutus est, inter quos locum secundum obtinuit.

Interea autem cum Philosophicis, etiam Theologiæ & hebreæ linguæ studia coniunxit. In primis autē D. D. Erhardi Schnepffij lectiones & Conciones studiosè audiuit, annotauit, ad earumq; imitationem se composuit, & popularibus concionibus se exercuit.

Anno itaq; 46. ætatis suæ 18. Studtgardiam, Ducatus huius Metropolim, ad Diaconatum illius Ecclesiæ, ædito prius specimine, altera die festi paschatis, in summo templo, in frequenti Concione pomeridiana, est vocatus, receptus, & cum admiratione officio isto functus est, ita, ut fama nominis ipsius etiam ad Illustrissimum Ducem Vvirtembergicum Vdalricum perueniret, qui etiam in arce sua audire ipsum voluit, & finita Concione ad suos dixit: vnde cunq; hic pulchellus progrediatur, certum est, quod Schnepffius illum excluderet.

Eodem anno vxorem hinc duxit, Annam, honesti ciuis, Iohannis Entringensis, honestam filiam, vale
de

de Vita, & obitu.

de piam: & ὄντως, ex qua liberos suscepit octodecim, filios nouem, & filias totidem, quorum nouem, adhuc sunt superstites, ex quibus filios quatuor, & generos quinque coram ordine, longaque serie pullatos asidere cernitis.

Incidit eodem anno & tempore tristissimum bellum Germanicum, quod principibus nostris Imperator Carolus V. intulit, in quo Victor Cæsar, Ducatum hunc occupat, inque suam redigit potestatem. Erat tum misera facies huius Ducatus. Ipse verò nihilominus cum coniuge Studtgardiæ perseuerauit, officiumque fecit concionando, baptizando &c. etiam inter medicos Hispanos, qui tamen (quod diuinæ bonitati tribuendum est) Vim illi nullam intulerunt, nec in officio impediuerunt, adeo, ut etiam cum à Cursore Ducis Vadalrici Fecialis Imperatoris rogaretur, pro infante sibi recens nato in baptismo ut sponderet, promptissime annuerit, eumque à D. Iacobo baptisatum, ex sacro fonte suscepit. Quo peracto, munusculum ipsi offert, his additis: Ego Domino Deo meo ago gratias, quod & viderim & audierim te in fide S. Ecclesiæ Catholice baptisasse (audierat enim Fecialis Symboli Apostolici recitationem in actu baptisimi) & quam primū inquit ad Cæsarem Venero, bona fide referam. Certè apud nos Cæsareanos persuasissimum est: Vos & fidem & Religionem omnem abiicisse, nulla apud Vos esse Sacramenta, nullam sanctorum Venerationem

B

nem

Oratio Funeris,

nem. De qua re cuperem tecum colloqui, Ideoq; peto, ut ad prandium venias, in Prætorio, à senatu paratum. Quod & factum est, & bona gratia dimissus, cum prius monuisset Nostrum, ut si quos haberet Scholasticorum Doctorum libros, Thomam, Scotum, Holcot, Bricot, Mephret, & similes, remotis suis Lutheranis, in locum substitueret: hoc modo eum tuum à Vi omni Hispanorum fore, & immunem.

Sed intra paucos dies pax est constituta inter Carolum Cæsarem, & Ducem Vdalricum, qui mox in suum redijt regnum, Dei beneficio & Cæsaris gratia.

Permansit itaq; noster in officio, donec anno 48. ab Imperatore forma Interreligionis, quæ Interim dicebatur (quod Interim durare deberet, donec in Concilio de vniuersa Religione decerneretur) in qua pontificiæ Religionis errores crassiores palliabantur astute, publicata esset, quam, qui recipere recusabant Ministri Ecclesiæ, metu Cæsaris, qui tum Monarcha, rerum potiebatur, passim ab officio remouebantur, & inter hos Noster quoq;, qui huc commigrare iussus est, subministrante sumptus Duce Vdalrico. Tristia hæc fuerunt & perturbata tempora, plurimis in locis pulsatis pijs, & synceris Ecclesiæ Ministris, substitutis alijs, atq; hinc inde translatis simplicioribus, qui puritatem doctrine, sine tamen refutatione errorum pontificiorum, simpliciter traderent populo, sacrificulis quoq; & Monachis restitutis. Sed Deus propitius paulo post nos paternè respexit, constitutis hinc inde Catechistis

6
de vita & obitu.

techistis, inter quos etiam Noster ad Diaconatum huius
Ecclesiae promotus est, in quo strenue laborauit.
Factum est id Anno, &c. 49.

Anno 50. Dux Vdalricus, Nouembris sexta die
hic in arce sua, inter horam quintam & sextam matutina-
nam, placide ex hac vita emigrauit, cui filius Dux
Christophorus, perpetua memoria Illustris, omnibus
que virtutibus Principe dignis ornatus, successit, qui
pari, cum Domino parente, clementia, Nostrum est
complexus, & fouit, voluitque, vt de assumendo Do-
ctoris gradu cogitaret. Itaque ad eam rem se prepara-
rauit, factis ijs & praestitis, quae legibus requiruntur.
Vbi post Disputationem publicam, Prophetas om-
nes minores, cursoria praelectione est interpretatus,
& anno 53. Aprilis 19. aetatis suae 25. doctoreos ho-
nores est consecutus, parte aliqua sumptuum, ex Chris-
tophori Ducis liberalitate, accepta, cum prius Eccle-
siae Göppingensis pastor, vicinarumque Superintens-
dens Specialis esset factus, postea vero etiam Genera-
lis, cum alijs tribus.

Tum etiam a generoso Comite Ludouico, in Oete-
tingen, ad reformandas & repurgandas Ecclesias
suae ditionis, ab Idolomania, & sordibus pontificijs,
est vocatus, ad quod opus etiam ab alijs principibus
Illustrissimis, Duce Othone Heinrico Palatino Rhe-
ni, & Domino Georgio Friderico, Marchione Bran-
denburgico, Theologi sunt euocati.

B 2

Vbi

Oratio Funeris,

Vbi memorabile est, quod Dux Christophorus, piæ memoriæ, Nostro Doctore Jacobo, peculiari scheda inscripta in mandatis dedit, vt si comes Ludouicus hoc ageret, quod bona Ecclesiastica, Monasteriorum imprimis, ad se rapere, inque suum conuertere vsu vellet: Doctor Jacobus nulli amplius interesset deliberationi, sed statim domum se reciperet. Quæ scheda Comiti per Cancellarium ipsius est reddita, addita grauisissima commonefactione, nè manus suas profanatione bonorum Ecclesiasticorum pollueret.

Anno 56. incidit Ecclesiarum comitatus Helffensteinensis Reformatio, ad quam etiam D. Jacobus est per Vdalricum Comitem ab Helffenstein, in Vvisensteinig vocatus, vbi plurimæ obijciabantur difficultates & remoræ, adeo vt Collegium Canonicorum, quod ibidem templum occupabat, Comitem cum suo Doctore Jacobo intromittere nollet, sed magna vi se opponebat. Verum perripit fortiter Vdalricus, & rectè institutus atq; edoctus, fundamenta Religionis sinceræ, ex sacra scriptura didicit, & institutam perfecit Ecclesiæ Reformationem, atq; in locum Sacrificulorum, Euangelij synceros Ministros substituit.

Quanquam autem Comes ille post aliquot annos, minis perterritus, Euangelicam Religionem deseruerit: tamen eius defectionis culpa nulla Doctore Jacobo adscribi potest, quippè qui Comitem ad constantiam grauisimè est adhortatus, refutatis omnibus argumentis, quæ Comes opponebat.

Circa

de vita & obitu.

Circa hæc tempora, cum Doctor Iacobus ex fama percepisset, Iudæum quendam in vicino oppidulo Vveissenstein, à pedibus (ob furta perpetrata) suspensum iri: quia hoc genus supplicij ante non viderat, comitante eum ciue Göppingensi, eò proficiscitur. Cumq; audiret Iudæum iam in patibulo pedibus affixum, pendentem inter canes duos, corpus Iudæi lacerautes, recitantem hebraicè versus ex Psalmis, quibus ille miser diuinam implorabat opem, accessit Noster propius, eiq; exposuit Religionis Christianæ caput, Christum, Messiam, verum Iehouam, eumq; vt in hunc crederet, hortatus est. Mirabile dictu: canes, ipso loquente, cessarunt membra Iudæi arrodere. Iudæus verò Religionem Christianam amplectitur, & hoc vnum petit, vt de patibulo ~~more iterum~~, sed de collo suspendendus, liberetur, & baptisetur, idq; obtinuit: vt dubium non sit, quin hic Iudæus è faucibus diaboli, huius viri præclara opera sit ereptus.

Eodem anno, Illustrissimus Princeps, Carolus, Marchio Badensis, &c. Ecclesiarum & cultus in ditio- nibus suæ Iurisdictioni subiectis, emendationem, diu ante præmeditatam suscepit. Ad quam perficiendam ex Thuringia Theologos euocauit duos, ex Palatina tu Electorali, vnum & nostrum D. Iacobum, & abiecta im- pia & Antichristiana, verboq; Dei damnata Religione pontificia, synceram: (cuius summa in Confessione Au- gustana, eiusq; Apologia comprehensa est) scripturaq; sacrae consentientem recepit, & vt Ceremonia exter-

Oratio Funeris,

næ in Ecclesijs Marchionatus, vicinarum Ecclesiarum Ordinationibus, quantum quidem poterat, conformes fierent voluit. Quibus hoc modo scripto comprehensis, Visitatio & Reformatio Ecclesiarum in Marchionatu inferiori, quæ Illustrissimo Principi, Marchioni Carolo cedebat, per Theologos istos, adiunctis etiam politicis consiliarijs, maturo consilio suscepta est, & qui sacerdotes ad docendum Euangelium idonei reperti sunt in examine, retenti.

Quibus hoc modo peractis, prædictus Illustrissimus Marchio Carolus, missis legato & Consiliario Iohanne Sechelio Iuris Doctore, cum literis Credentiæ (quas vocant) meam explorat voluntatem, & operam requirit, quam ab Illustrissimo Duce Christophoro impetrat ad annum. Commigro itaq; cum mea familia Herenbergâ Pfortzheimium, circa Maesthai festum, ut recens institutam Ecclesiarum emendationem, in opus producerem.

Postea reuocatur noster Doctor Iacobus, qui mense Octobri eodem rediit, & cum Illustrissimo Marchione Carolo ad Ecclesias, Ditionum superiorum, quæ in Brisgoia sitæ sunt, reformandas, vnâ ascendimus. Distribuit autem Illustrissimus Princeps operas inter nos, per Ditiones istas. Quod opus per Dei gratiam feliciter cessit, ad gloriam Dei illustrandam, & multorum millium animarum salutem perpetuam. Deum æternum Patrem Liberatoris nostri
Iesu

de Vita, & obitu.

Iesu Christi toto pectore precor, vt qui coepit opus hoc bonum, in virtute Spiritus sancti perficiat, & conseruet vsq; ad aduentum gloriosum filij sui dilecti, Iudicis viuorum & mortuorum, cui magno & intrepido animo, rationem de hoc sumus reddituri in illa die.

Hoc eodem anno à Senatu ciuitatis Imperialis Rottenburgum ad Tuberam, noster Doctor Iacobus vocatus est: propterea, quod Pastores in agro ipsorum dissimilibus vterentur Ceremonijs, & metus esset, ne inde etiam certamina de dogmatibus oriententur. Itaq; consilio eius repetunt confessionem verbo Dei consentientem, & certos ritus praescribunt, quibus omnes vnanimiter Pastores, & in vrbe & in agro posthac vtantur. Et hoc modo consensus est constitutus, & pax Ecclesijs istis data.

Anno 57. mense Ianuario, cum Duce Christophoro, vt in ea profectioe partes Concionatoris aulici sustineret, ad comitia Ratisbonae tum celebranda descendit, in quibus inter caetera, de futuro Colloquio inter Theologos Pontificios, & Confessionis Augustanae, Vvormatiae habendo deliberatum est. Ad quod certae personae, Iudicio Caesaris Ferdinandi, & ordinum Imperij, delectae sunt. Inter istas Doctor Iacobus, & Doctor Paulus Eberus, Notarij sunt nominati & adiuncti.

Edidit hoc anno Doctor Iacobus libellum de coena Domini,

Oratio Funeris,

Domini, in quo etiam ad piam concordiam viam monstrabat, cui Dominus Brentius, piæ memoriæ, breuem commendationem in Prefatione eiusdem addidit: si quo modo hæc ontrouersia odiosa, citra tamen veritatis iacturam, componi potuisset. Et hic primus ipsius foetus, quod ego quidem sciam, fuit, ex quo apparet, quantum in ipso pacis, & concordia Ecclesiasticæ fuerit studium.

Eodem anno, mense Iunio, cum Duce Christophoro, Francofortum ad Moenum descendit, ubi conuentus erat Principum quorundam, à Cæsare deputatorum, ad componendam litem & controuersiam, quæ per annos complures, inter Philippum Hasiæ Landtgrauium, & comitem Vvillhelmum à Nassau, propter comitatum Casenelenbogen/durauerat, sicut & transactum est inter illos, & his dirempta atq; sublata. Erant autem eò vocati ex varijs locis Theologi nostrates, qui communicato consilio, de modo & forma Colloquij Vvormatiensis, quod tum instabat, deliberarent, quo consilio & Doctor Iacobus eò adductus erat.

Concionem ibidem habuit Noster, in præsentia Principum, die festo Iohannis Baptistæ, in summo templo ad D. Bartholomæum, quod pontificij tum occupabant, sicut etiamnum, ubi mirabilis accidit historia, cuius ego testis esse possum ocularis, qui vnâ cum Illustrissimo meo Principe tum Domino Marchione Carolo Badensi, &c. eò profectus eram, dicta de causa, quam breuiter hic recitare visum est.

Cum

9
de Vita, & obitu.

Cum enim certa de causa Illustrissimis Principibus visum esset, concionem publicam Evangelicam audire eo die festo, res ea insolita, mox euulgata est per urbem. Confluxere itaque plurimi homines. Ibi post signum datum campana consueto more, suggestum ascendit Doctor Pontificius. Quo viso, populus magna voce canere coepit hymnum de Spiritu sancto, qui incipit: *Nun bitten wir den heyligen Geist.* Quo finito, legit ille historiam Evangelicam consuetam de Baptista natiuitate, quam attente illi audiuerunt. Cum autem interpretari eam inciperet, interrupit eum Concio alio hymno germanico: *Nun frewt euch liebe Christen gemein/ vnd laßt vns frölich singen/ &c.* Ibi tum Concionator ille, quasi attonitus aliquandiu substitit: cumque illi finem canendi facturi nullum viderentur, descendit ille, & recta ad Ducem Iuliacensem, qui primus, & adhuc solus ex Principibus aderat, contendit, coram quo solenniter protestatur, *Vi se de loco, & officio suo deiecerum, addita petitione, vt huius rei testis sibi esse velit eius celsitudo, in extremo Iudicio.* Cui princeps: *Mi Domine, sic conuenit inter Principes, quod hodie ex suis Theologis concionem audire velint. Ideoque si tuo fuisset loco, eorum voluntati me non opposuissem.*

Quod autem a me petis, vt tibi in nouissimo die testis esse velim, id perdifficile mihi est.

Aut enim fortassis, ego & tu, ibi non conueniemus: aut alter alterum non agnoscet. Quo accepto responso, sacrificulus commotus, recedens, ira accensus,

C

clepsydram

Oratio Funeris.

elepsydrum, quam manu tenebat, in terram, iuxta altare, cum blasphemia, abiecit. Quod hisce meis vidis oculis & auribus, propius astans, audiui.

Porro, quod ad Colloquium attinet, cuius modo facta est mentio, conuenerunt Vvormatiæ Theologi, vtriusque partis, mense Augusto: vbi hoc à Pontificijs actum est, nihil vt ageretur. Mota enim Quæstione de Iudice controuersiarum inter partes, Nostriq; verbum Dei, scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensum, pro vero & indubitato Iudice agnoscendum, cui soli hoc debeat, neutri verò parti contenderent: Pontificij verò contra, scripto prolixo proposito testarentur, se nequaquam, neq; vnquam, in hunc vnum Iudicem consentire posse. Scripturam enim sacram, literam esse mutam, mortuam, ambiguam, adeoque non esse vocem Iudicis, sed materiã litis, ex qua certa controuersiarũ diiudicatio depromi non possit. Quapropter, si in hoc proposito Augustanæ Cõfessionis Theologi, consistere & perseuerare velint, se in instituto Colloquio progredi non posse: siquidem contra negantẽ principia non sit disputandum. Hac itaq; de causa Colloquiũ istud abruptum est ab illis, nulla habita ratione Rescripti Cæsaris Ferdinandi, quo eos progredi in instituto Colloquio hortabatur. Quod idem, Præses Iulius Pflug, Episcopus Naumburgensis satagebat, sed omnia frustra.

Anno 58 Staphylus infelix Apostata, vt prætextum suæ defectionis turpissimæ quæreret, Libellum contra nostram Religionem edidit, cui titulum fecit: Epitome
trimem

de Vita, & obitu.

primembris Theologiæ Lutheranæ in quo iste non modo plurimarum Sectarum opiniones collegit, easque simul omnes Luthero, tanquam primario ascribit Authori, sed etiam ex ipsius, aliorumque Doctorum scriptis, quam plurimas Antilogias (quem hodie stolidi imitantur Esauitæ) confinxit & collegit.

Hic Doctor Iacobus, authoritate Ducis Christophori, istius impudentiam & vanitatem refutavit, quæ scripta contraria, postea sunt multiplicata, vtrinque terminis aduersarijs aeditis.

Anno 59 quia conuentus Imperij indictus erat Augustæ, cum alias ob causas, tum etiam, vt acta Colloquij Vvormatiensis (quod ferè priusquam inchoatum erat, abruptum fuerat) cistæ vel arcae inclusa, nec euulganda antea, quam ordines Imperij ad Comitiam conuenirent (ita enim conuentum erat, & religione Iurisiurandi collocutores deuincti) ibi tum etiam eò missus est noster Doctor Iacobus cum alijs Politicis, vt publicationi Actorum interesset.

Publicatis Actis, grauis accusatio in eodem confessu, aduersus Doctorem Iacobum, ipso presente et audiens te, recitata fuit: quod Francoforti Ecclesiasten ordinarij eius loci, in æde D. Bartholomæi, violenter ab officio suo depulerit (quod quomodo habeat, & factum sit, iam à me expositum est) quo nomine in publicas leges pacis constitutæ peccauerit. Et quod durantibus Comitijs in summo templo Augustæ, Pontificio Doctori concionanti publicè contradixerit eumque mendacem in doctrina arguerit.

C 2

Id

Oratio Funebris,

Id autem ita factum est: clam Noster proximè sibi à latere assistenti dixerat, mentitur: quod cum à tergo illi astans sacrificulus audiuiisset, clara voce, vt & à Concionatore, & alijs exaudiri potuerit, Nostro dixit: Cur non publicè Concionatori dicis, mentiris? Nè ergo tumultus fieret in populo, discessit Noster, comitante ipsum amico. Fretus itaq; bonitate causæ, se purgavit, & satisfecit, partim sua innocentia, partim verò Aduersariorum calumnijs demonstratis.

Interea autem, duas, durantibus Comitijs, Concionationes habuit, de Iustificatione vnam, de cœna Domini alteram, presentibus omnibus nostræ Confessionis principibus. Quæ ambæ ante comitiolorum finem hîc sunt excusæ typis, & Exemplaria Augustæ plurima distracta.

Post reditum interrogatus à nobili viro septuagenario Iohanne à Liebenstein, qui Göppingæ domicilium habebat, in vicinò autem admodum loco, pagum Vbenhausen, vbi sunt acidulæ, pontificiæ autem adhuc deditus Religioni, qui tamen frequenter conciones nostri Doctoris Iacobi audiebat, neq; ab eius conuersatione alienus: ab hoc, inquam, Noster interrogatus: quid tandè in Colloquio isto Vvormatiensi tam celebri, de Religione actum sit? respondit Doctor Iacobus id, quod supra de causa dissipati et interrupti Colloquij commemoratū est, de Scriptura sacra, quod in controuersijs Ecclesiasticis, de doctrina, Iudex esse non possit. Ibitum Nobilis, hac occasione Recessus istius Colloquij
Vvormas

de vita & obitu.

Vvormatiensis, motus, ingenuè profiteri, se non aliam agnoscere doctrinam, quam quæ in verbo Dei comprehendatur. Eandem se quoque velle suis proponi subditis, sed non nisi per ipsum Doctorem Iacobum. Qui facile consensit, et singulis diebus Dominicis et feriatis, à prandio, cum prius Göppingæ manè suas pauisset oues, egressus, Concionē in pagi templo dedit, postea regressus in oppidum, vespertinam habuit Concionem, & sic ternas, id est longo tempore, gratis, quod Nobilis nollet alium conscendere suggestum, donec subditi bene in Religionis doctrina instituti & confirmati essent, nè fortè alius vna concione plus destrueret quam iste 10. concionibus ædificasset.

Accidit eo tempore, vt Pastor quidam in hoc Ducatu M. Bartholomæus Hag, in errorem Caluini, ex mutuis conscriptionibus, inductus sit. Quod cum Dux Christophorus, Illustrissimus, optimus, & veræ ac sinceræ Religionis amantissimus princeps, intellexisset, confessionem scriptam de Cœna Domini ab illo exegit, quam ipsius Celsitudo, præcipuis Theologis huius Ducatus examinandam misit: cumque eorum piuum consensum intelligeret, Synodum indicit mense Decembri, Anni 59. ad quam isti omnes Studtgardiæ am conuocantur. Cui conuentui Magister Hagen sistitur, vt conuictus erroris, & confusus, in viam miser reduceretur. Quod & per Dei gratiam factum est.

Ex decreto aut & voluntate Ducis Christophori, datum est hoc negotium Doctori Iacobo, qui diu illum

Oratio Funeris,

frustra reluctantem, ita tandem erroris conuulcit, ut quid opponeret, non haberet amplius, errorem suum palam agnoscens, confessus est, Confessionicq; quæ tum à Synodo est conscripta, de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in Coena Dominica, subscripsit, sicut & alij præsentibus omnes, & quicumq; recipiuntur ad Ministerium Ecclesiasticum. Atq; ita dimissus est ille domum ad faciendum officium.

Excurrit etiam D. Iacobus aliquoties, & hoc & sequentibus annis, ad Comitem Oettingensem, vocatus ad Inspectionem Ecclesiarum ipsius.

Sicut & anno 60. à Duce Vvolfgango Palatino Rheni, ad instaurationem Ecclesiæ Lauginganae, quæ per Sectarios misere erat perturbata, vocatus est, & à Duce Christophoro missus, ubi per anni ferè quadrante mansit, Ecclesiæ illi præfuit, dandis frequentibus concionibus, quibus doctrinæ coelestis fundamenta iecit firma, summa mansuetudine & lenitate, seductos in viam reuocans.

Anno 61. autoritate Ducis Christophori, Aprilis 15. missi sunt, Iacobus Beurlinus, Theodoricus Schnepffius, & noster Iacobus, Theologiæ Doctores, adiunctis Politicis, Erphordiam, ad conuentum Theologorum, Electoris Palatini Friderici, Augusti Electoris Saxoniae, & Landtgrauij Hassiæ Philippi, propter Electorem Palatinum Fridericum, qui aliam & diuersam à Confessione Augustana doctrinam amplexus fuerat, si quo modo reuocari in viam, & consensum nostrum potuisset, sed re infecta discessum est. Mense

de vita & obitu.

Mense Iunio, à Duce Vvolffgango Palatino D. Iacobus denuo est vocatus ad Inspectionem Ecclesiarum superioris Palatinatus, vt quàm rectè omnia fierent, administrarentur, & procederent, cognosceretur.

Circa finem Septembris, eiusdem anni, ad Ducem Christophorum venit Legatus Regis Navarrae, Monsyr Iacques de Turnio dictus, cum literis Regijs, quibus petebat Theologum sibi mitti, cuius opera & consilio, in Synodo Poysiacena uti posset. Eo enim negotium Religionis deductum, vt de controuersis articulis, praesente Rege Carolo 9, Regina matre, Rege Navarrae, Principe Condaeo, & reliquis Regni Ordinibus Poysii, inter Pontificios & Hugonottos (quos vocant) colloquutio modesta instituitur. Negotio itaq; cum Consiliarijs communicato, visum est mittere Doctorem Iacobum Beurlinum, recens creatum Academiae nostrae Cancellarium, & Ecclesiae praepositum, D. Iacobum Andree, & M. Balthasarum Bidembachium concionatorem aulae Vvirtembergicae, quibus adiungitur Nobilis Melchior à Salhausen, qui gallicam tenebat linguam, & alij ministri. Simul ergo hi iter ingrediuntur Studtgardiae 3. Octob. & eiusdem 19. Lutetiam perueniunt, vbi cum aliquandiu expectarent Regis mandatũ, postquam Sorbonam vidissent, Collegiũ Regis Navarrae, ingrediuntur, ibiq; D. Beurlinus occupatus inspectione librorũ, in Bibliotheca, optimis Authorib; instructissima, morbo corripitur, quem Erisypelata esse putabat, sed vt euentus docuit tristissimus, pestis erat, quae in isto

Collegio



Oratio Funeris,

Collegio tum sauebat, quod nostri ignorabant, qua
postea 28. eiusdem extinctus est Lutetiae, sepultus in
Coemiterio sanctae crucis.

Antequam autem nostri Lutetiam peruenissent,
Colloquium Poysiacenum iam solutum erat, Bezæ
oratione quadam, quam in conuentu illo celeberrimo,
coram Rege, & reliquis paulo antè nominatis, de Coes
na dominica, cuius mentionem fecerat, in hæc verba
erumpens, ædiderat: Quantum distat supremum Coes
lum ab infima terra, tantum corpus Christi distat à pa
ne et vino Eucharistiæ. Quibus auditis, Pontificij surre
xerunt, non amplius Bezam audire volentes. At post
quam Regis mandato silentium est imperatum, Bezæ,
orationem suam absoluerè permissum est. Proposuerat
autem in isto Conuentu Cardinalis Lotharingus, (vt
quidem nobis relatum est) conditionem pacis & cons
cordiæ, inter vtramque partem, Religionis in Regno
Galliæ confirmandæ, Confessionem Augustanam,
Carolo V. Anno, &c. 30. exhibitam. Hanc, si subscri
ptione sua approbarent Beza, & socij Religionis in
Gallia, perpetuam, quoad Religionem, in Regno pa
cem esse futuram. Quam conditionem cum recusas
rent, nulla amplius de Religione deliberatio suscepta
est, sed solutus Conuentus. Doluit autem Nauarreno
Regi vehementer, prius abruptum Colloquium, quam
Nostris aduenissent. Dederunt tamen D. Iacobus, &
M. Balthasar ad Regem Nauarraum, petentem hoc,
scriptum quoddam, de vera & genuina sententia Aus
gustanæ

de Vita, & obitu

gustanae Confessionis, in articulo de Coena Domini, sed nullum ab hoc responsum acceperunt: Verum vocati ad Reginam matrem, clementer sunt dimissi: cumq; nihil amplius haberent, quod agere possent. 24. Nouembris, iter patriam versus, susceperunt, in quam 10. Decembris salui redierunt.

Sequente anno 62. Duces Guisiani, in primis Cardinalis Lotharingus Carolus, Colloquium cum Duce Christophoro, ad componendos motus in Gallia Religionis causa exortos, petunt, quod Tabernis Alsaticis, quae sedes est Episcopi Argentinenensis, ad 15. Februarii indictum erat. Ad quod Princeps noster Illustrissimus, Dominum Brentium nostrum D. Iacobum & M. Balthasarum secum adduxit. Vbi hoc effectum est, quod Guisiani, optimo nostro nostro principi stipulata manu fidem dederunt, se non amplius in Hugonottas fauitorios. Quod tantisper praestiterunt, donec ab illo sunt digressi. Cum enim Vvasinum peruenisset senior Dux Guisius, horribilem Ianienam, in vulgus promiscuum, templo inclusum, exercuit.

Cum itaq; defuncto D. Beurlino, vt diximus, iam locus iste Cancellarii, in schola nostra vacaret, idem Illustrissim^o princeps Dux Christophorus, iuxta Ordinationem suam, communicato cum Rectore, & Senatu Academico consilio, D. Iacobum Andreae Cancellarium & Praepositum constituunt.

Antequam vero huc commigraret, missus est a Duce Christophoro, petente Iohanne Friderico Duce
D Saxoniae,

Oratio Funeris,

Saxoniae, cum Magistro Christophoro Bindero, iam Abbate Adelbergense, Reuerendo sene, Aprilis 22. in Thuringiam, ad sopiendum dissidium inter Theologos Academiae Ihenensis, Matthiam Flaccium Illyricum, & D. Victorinum Strigelium, de liberi arbitrii viribus, ortum, quibus hic nimium tribuere videbatur, in conuersione hominis peccatoris ad Deum, vsus vocabulo Capacitatis, quod ille non recte accipiebat. Proposita itaque a Nostro est formula, qua tota causa & controversia explicata est, & a Victorino approbata manus subscriptione, Aduersarij vero eam cauillabantur, & postea mutilatam, in odium Nostri, adiderunt.

Post reditum, mense Iulio, familiam suam huc transtulit, officiumque suum & in Schola & in templo, magno cum Zelo, & approbatione multorum, fecit. Fluit autem ipsius oratio, & sicut Homerus de Nestore scriptum reliquit: τὸ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτι & γλυκίωι ῥέει κνυδῆ: cuius ab ore fluit vox melle liquenti, dulcior.

In docendo rudē plebeculā, popularis erat, vt disertē & perspicuē posset etiam obscura alias proponere, vt facile intelligerentur. In exhortando ad vitæ emendationem, increpando, et inuehendo in vitia et mores deprauatos, vehemens, extollens vocem suam sicut tubam, Aduersarios sanæ doctrinæ refutando potens, pusillanimes & perturbatos consolando & erigendo mitis, in ciendis & mouendis affectibus, natura & arte instructus, & si quando opus erat, mera sonabat tonitrua, tantaque animi & vocis contentione, vehemētia

tia

14
de vita & obitu.

Ha & affectu pro Concione loquebatur, vt etiam media bruma toto sudaret corpore, interulamq; madefaceret omnem, Quod & factum est penultima concione, quam Dominica secunda Aduentus, vt vocant, habuit, qua finita, postea nihilominus in maximo frigore, vnâ cum alijs Ecclesiæ Ministris, cœnam Domini, alumnis, qui magno numero aderant, administravit: quam postea non minimam morbi causam fuisse est arbitratus, cum cessante motu & actione, frigidissimo tempore, & omnibus gelu concrenentibus, calor iste omnis & sudor in interula, in frigiditatem, poris apertis, conuerterentur.

In Schola quoq; (quando per alia grauiora negotia publica, præsertim peregrinationes frequentes, & crebra itinera, quæ in diuersa illum rapuerunt loca, non impediiebatur,) fideliter docuit: maximè autem practicam Theologiam, cum magnum, rerum Theologicarum plurimarum, vsum haberet & experientiam, studiosis Theologiæ proposuit, quibus ad Ministerium Ecclesiasticum accessuros præparauit. Disputationes hinc in Schola nostra proposuit plurimas, quibus materias difficilimas & obscurissimas, de Persona Christi, de Personali vnione duarum naturarum, de Communicatione Idiomatum, de Prædestinatione, de peccato Originali, & omnibus propemodum controversiis Ecclesiasticis horum temporum, contra omnes errores, quorum argumenta refutauit, monstratis fontibus, & quidem tanto studio, vt plerunq; dies contingeret integros, explicauit. D 2 Nule

Oratio Funeris,

Nullis autem pepercit laboribus *καλῶν* *ἔργων*, scriptis & Epistolis, non solum familiaribus, sed diuersas ad diuersos, varij argumenti, ad omnis ordinis homines dedit, dum de varijs interrogatus, respondit, & consilia dedit quotidie, cum dies, credo ego, nulla transiret, qua non aliquot magna celeritate & felicitate exarauerit, Nulla dies præterijt, qua non plures ad eum, tanquam Oraculum, confluerent, petentes consilia, dum omnibus gratificari studeret.

Nullus, post magnum illum Lutherum, quod ego sciam, tot, tantosq; pro Ecclesia, & Religione, sustinuit labores. Sicut statim sequentis anni 63. initio, mense Februarii, Argentinam est missus, quod Italus quidam Theologus Hieronymus Zanchus, pacem & concordiam Scholæ illius & Ecclesiæ, nouis quibusdam dogmatibus perturbasset. Inter quæ & hoc paradoxon erat: quod renati & credentes, non possint iterum excidere gratia Dei, & fidem, per peccata, contra conscientiam admissa, amittere. Qui à nostro Cancellario, & Reuerendo viro D. Doctore Simone Sultzero Basiliensis Ecclesiæ Pastore, & eiusdem scholæ Professore, Theologo sincero, quos Magistratus Argentinensis euocauerat, refutatus est. Postea formula Confessionis à Nostris est conscripta, & à Zanchi petitum, vt subscriberet. Qui cum tergiversaretur primum, à Iohanne Sturmio Rectore Academiæ Argentinensis, persuasus, & à D. Sultzero adductus, & rogatus, vt subscriptione sua eam confirmaret, tandem his verbis
eam

de vita & obitu

eam subscripsit: *Hanc Confessionem, ut piam esse corde sentio, ita manu eam subscribo.*

Fuit in hac vicinia, circiter duo milliaria abhinc, vir generis nobilitate, virtute, sapientia, pietate, & magnanimitate præstans, Iohannes ab Auu in *Wachensdorff* qui à Medico D. Venerando Gablero, quo valde familiariter hic utebatur, de nostræ Religionis principijs Catecheticis, edoctus est: qui Gablerus, antequam à nostra Religione defecisset, author illi fuit, cum alio quoque Iuris Consulto, M. Iohanne Biettigheimero, ut nostrum Cancellarium ad se vocaret, à quo plenius cum sua Ecclesia, instrueretur, quemque scirent non difficilem se præbiturum.

Occasione itaque hac sibi oblata, Noster, re cum Illustrissimo principe Christophoro, communicata, operam suam illi præstitit, hoc modo, ut diebus Sabbati ascenderet, & postea diebus dominicis publice pro Concione isthic (cum interim non deessent, qui hic vices ipsius gererent) Catechismum traderet & explicaret, quod annum circiter, aut amplius præstitit, octavo Nouembris, anni 64. incipiens, primam dedit Concionem: atque ita Ecclesiam istam plantavit, paulatim abrogata Idolomania Pontificia. Quæ Conciones postea Typis hic sunt excusæ. Etsi autem varie tentaretur Nobilis, tamen constanter in agnita veritate perseveravit ad finem.

Cumque orbis esset, fratrem Pontificiæ Religionis addictum, heredem & Successorem instituit,

D 3

has

oratio Funebri,

hac conditione diserte addita : nè Religionem à se institutam, mutaret, neue vllum vnquam officium, in templo, Sacrificulum Pontificium facere permetteret, sub poena Priuationis omnium acceptorum à fratre bonorum. Quod & religiosè hic obseruauit. Iam filius huius Iosephus egregius Nobilis, rectèq; in doctrina verbi Dei institutus, pagum possidet, & Religionem puram conseruat.

Anno 65. Haganoam Imperialem ciuitatem, ad instituendam Ecclesiam est vocatus, mense Nouembri, tricesimo eiusdem mensis die, qui Apostolo D. Andreae sacer est, primam habuit Concionem: mansit mensem ibidem, & demum Ianuarij, sequentis anni, die octaua, recessit. Plurimas autem de præcipuis Religionis Christianæ capitibus, Conciones dedit, quas postmodum impressas euulgari curauit. Dedit autem Ecclesiæ à se recens plantatæ, Pastorem, Philippum Heerbrandum, Theologiæ Doctorem, fratrem meum charissimum, cuius curriculum breuius fuit. Cum enim ibi decennium integrum fideliter suo munere functus esset, in statione sua, piè & placidè in Domino obdormiuit.

Anno 67. cum Academia nostra Eslingæ propter pestem hinc serpentem, commoraretur, & Eslingenses pastor e carerent, à Magistratu illius loci compellatus, per integrum annum, vice & loco Pastoris, frequentes ibidem dedit Conciones, quibus errores varios, & præcipuos, Pontificiorum, Cinglianorum, Anabaptistarum,

de vita, & obitu.

baptistarum, & Schvvenekfeldianorum, refutavit, quod horum opinionibus ciues nonnulli essent infecti: quas & ipsas, rogatus, in lucem dedit.

Videre hic est, quam impiger fuerit ad labores, & strenuus Christi Iesu miles, quod vbicunq; potuit, officium fecit, nullam praetermittens occasionem, Domino suo aliquos lucrificandi, & adducendi, vt pomœria Regni ipsius dilataret.

Postea anno 68. mortuo Henrico Duce Brunsvuicense, filius, hæres, & successor vnicus, Iulius, cum iam Patre superstite Religionem nostram amplexus esset, eandem, defuncto parente, subditis quoq; suis, quorum sibi curam demandatã diuinitus sciebat, de mutatione Pontificiæ Religionis cogitavit: cumq; iam per omnem fama Germaniam, de nostro Cancellario percrebuisset, hunc sibi à Cognato suo, Duce Christophoro, ad suas piè reformandum Ecclesias, mitti petit: & facile, quæ erat Ducis Christophori, in propaganda sincera doctrina, pietas, studium, & Zelus, impetrat.

Egressus itaq; Noster Augusti 29. Septembris 15. Vvolffenbyrum peruenit, vbi cum Reuerendo, & de Ecclesia Christi optimè merito, viro Doctissimo, D. Martino Chemnitio, S S. Theologiæ Doctore celeberrimo, clarissimoq; de toto negotio, alijs quoq; adiunctis viris, pietate & sapientia præstantibus, Iulio quoq; Duce



Oratio Funeris,

Duce ipso praesente, de constituendis pie Ecclesiis delibe-
beratum est grauissimè. Comprehensa itaq; est litera-
ris Ordinatio Ecclesiastica, & Ministerium verbi di-
uini, secundum sacram scripturam, constitutum. Es-
quia idoneorum ibi Ecclesiae Ministrorum copia non
erat, ex Stipendio Illustri, hinc quidam missi sunt, quo-
rum nonnulli adhuc illic versantur.

Acceperat autem Noster discessurus hinc, in man-
datis, ab Illustrissimo nostro Principe Duce Christo-
phoro, vt simul oblata hac occasione, declarationem
consensus Ministrorum in Ecclesiis Saxonis, cum
alijs synceris Ecclesiis, quaereret & impetraret. Verum
cum id tum commodè fieri non posset, quod de obitu
Optimi Principis Christophori, pia memoria, certior
factus esset, reiecto & dilato hoc concordiae nego-
tio in tempus commodius, constitutis Ecclesiis Brun-
svicensibus, domum properat, 12. Februarij huc re-
uersus.

Deinceps Aprilis 3. Heidelbergam ad priuatum
Colloquium de Coena Domini, cum Electore Friderico
eo proficiscitur, vnde 12. eiusdem reuertitur.

Paulo post, hoc est Iunij 27. ad Ducem Iulium res-
dit, accepto viatico à Ducissa vidua Principis Christo-
phori, vt ad Saxonicas, & maritimas ciuitates iter sus-
cipiat, & de consensu voluntates Ministrorum explo-
ret. Vbi ad loca quam plurima, ciuitates, per vniuersam
sam

17
de vita & obitu.

sam Saxoniam inferiorem, Ecclesias & Regna, Dani-
am quoq; profectus est, vsq; ad finem eius anni.

Anno 70. mensibus Ianuario & Februario, Mis-
niam, Dresdam, Vinariam, Vvolffenbytum, Berli-
num, ad Electores & Principes, Augustum, Iulium,
Marchionem Brandenburgensem Iohannem, postea
Martij 9. cum Iulio Duce Brunsvuicense, Pragam est
profectus, vbi Imperator Maximilianus 1. pia memo-
ria, Nostrum, cum de aduentu ipsius in urbem,
certior esset redditus, ad se vocavit Martij 16, & 17,
& semotis omnibus, priuatim cum ipso de negotio
Concordia, in qua plurimum Nostrum laborare cog-
nouerat, confert, procurante hoc procancellario D.
Zasio. Approbavit autem Imperator sapientissimus
studium D. Iacobi nostri, hortatusq; eum, vt strenue
pergat in opere coepto, neq; cuiusquam clamores aut cas-
lumnias curet, seue ab instituto reuocari patiatur, mer-
cedemq; laboris a Deo sibi repositam expectet. Atq;
ita clementissime a se dimittit. Itaq; 18. eiusdem mens-
is, cum Iulio Duce Brunsvuicense Praga discessit, &
22. coram Electore Saxoniae Augusto concionatus est.
Aprilis 11, Synodus Vvolffenbyti habita, cui interfuit
noster Cancellarius. Dehinc Maij 7. profectus est
ad conuentum Zeruestanum. Iulij 1. concionem dedit
Bernburgi coram Anhaltino Principe. Nouembris 10
Concionem habuit Brunsvuige, vbi tum formula que-
dam concordia Ecclesiastica in Saxonia, cum nostris
Ecclesiis, quam multi Ecclesiarum Saxonicarum Mi-

E

nistri

Oratio Funeris,

nistri subscripserant (in qua sesquiannum Noster laborauerat) proclamata est. Ipse Decembris 12, anni 70, Tubingam redijt, cum abfuisset annum integrum cum dimidio.

Anno Christi 71. mense Iulio, cum Magistro Christophoro Bindero, Montpelgardum ad inspectionem Ecclesiarum est profectus.

In reditu, Augusti 10. Argentinae cum Matthia Illyrico Colloquium instituit, in quo absurdissimum errorem ipsius, & haeresin Manichaeam (*peccatum esse substantiam*) refutauit. Circa finem anni 72. denuo Montpelgardum est profectus propter negotia quaedam Ecclesiastica.

Anno 73, mensis Iulij, 7 die, vocatus Memmingam oppidum Imperiale a Magistratu, & ab Illustrissimo nostro Principe, Duce Ludouico, qui iam insistens vestigijs paternis, pari pietate synceram colit Religionem, hancq; conseruare & propagare studet, quem nobis & Ecclesiae suae, Deus Opt: Max: quam diutissime florentem conseruet, missus est, quod, quidam Minister illius Ecclesiae, M. Eusebius Cleberus dogma Cinglianum inuehere conaretur, qui a nostro in Senatu erroris conuictus, ab officio remotus est, & dimissus. Ecclesia autem duabus Concionibus de Concordia inter Ministros Ecclesiae, habitis, pristinae tranquillitati est restituta, tametsi ille postea responsare non cessauerit.

Anno 75. defuncto, vt ante memini, Pastore Hanoense D. Philippo Heerbrando, Ecclesia ista & Magistratus,

Magistratus, alium petunt & impetrant Pastorem, ex Stipendio Illustrissimi & clementissimi Principis nostri, M. Georgium Volmarum, quem Noster Martij 13. Ecclesiae commendauit. Reuersus Haganoâ, Iunij 26, profectus est Alen, oppidum Imperiale, in quo hactenus Antichristus Romanus, dominatus fuerat, ibique Euangelium per Mensem concionatur, & Ministros praeficit Ecclesiae synceros.

Inde domum reuersus Iulij 30. iter Lindauium (oppidum est Imperiale, ad Acronium, vulgò Podamicum, lacum, situm, amœnum admodum) suscipit, ibique cum Tobia Rupio Ecclesiae Ministro, errore Flacciano, imbuto, coram Senatu confert, & sicut antea authorem Illyricum Argentinae: ita nunc quoque Discipulum, Lindauij, in praesentia senatus, & ciuium, qui frequentes et magno numero aderant Auditores, quos suo absurdo dogmate fascinauerat & seduxerat, refutat. Cumque circa initium anni 76. à Duce Philippo Ludouico Palatino Rheni Illustrissimo, propter quasdam causas Ecclesiasticas, euocatus esset, consentiente Duce Vvirtembergico D. Ludouico, eò est profectus.

Ratisbonensis Magistratus, misso Legato Camerario, Domino Flettachero, Neoburgum, (ubi tum commorabatur D. Iacobus) hunc ad se vocauit, ut componeret controuersiam, quae erat Ecclesiae Ministris cum Senatu, de Excommunicatione, quò venis Ianuarij 15. illicque usque ad Martij 4. substitit, donec negotium expediretur.

E 2

Interea

Oratio Funeris,

Interea autem hinc dum abesset, literis ab illustris-
simo Electore Saxoniae, Duce Augusto, ad Illustris-
simum Ducem Vvirtembergicum Ludouicum, Domi-
num nostrum clementissimum, datis, opera nostri Can-
cellarij expetitur: quod Theologos tum Vvitember-
genses, dogma Cinglianum in Scholam introduxisse,
tenerisque studiosae Iuuentutis animis instillare depren-
disset, ideoque ab officio eos remouit. Eiusdem ergo
mensis 24. iter ingressus, Torgā April. 9. peruenit. Maij
27, Conuentus agitur Theologorum Torgæ, grauiss-
ima instituta deliberatione, de toto negotio Religionis,
et formula quadam Concordiæ, maximè autem de dis-
sidijs et controuersis, quæ hinc inde exorta erant, (inter
quæ Principem locum obtinebat certamen cum Cal-
uinistis) iuxta normam et præscriptum verbi Dei com-
ponendis, & tollendis. Ad hunc autem conuentum ab
eodem Electore vocati sunt et alij Theologi, D. D. An-
dreas Musculus, & Dominus D. Christophorus Kor-
nerius, Brandenburgici Electoris Theologi, D. D.
Martinus Chemnitius, D. D. David Chytraus, Pro-
fessor Scholæ Rostochiensis, & D. D. Nicolaus Sel-
neccerus, qui librum quendam conscripserunt, qui pos-
tea Bergæ est recognitus. Missus est autem Noster
ab Electore Saxonico Duce Augusto, hac eadem de
causa, ad Illustrissimos Principes, Iulium Ducem Brun-
suuicensem, Ludouicum Landtgrauium Hassiæ, Do-
minum Georgium Marchionem Brandenburgicum.
Hinc ad nos rediit, uxorem & liberos, propter diuturnam
niorem

de Vita, & obitu.

niorem absentiam secum adducturus Lipsiam: quod Elector diutius opera nostri Cancellarij, in constitutione Scholarum & Ecclesiarum simul etiam opere Concordiæ conficiendo, vsurus esset, sibi copiam à Duce Vvirtembergieo, misso Legato, Domino D. Iodoco Dtdamero, Landtgrauij Consiliario, fieri perierat. Arduum autem hoc fuit opus, quod magnis constitit laboribus, adeoq; ferè impossibile videbatur, cum Pontificij perpetuo dissidia nostrorum nobis obijcerent, sine fine clamantes: non duos aut tres reperiri inter Augustanæ Confessionis Ecclesiæ Ministros, qui in omnibus de doctrina consentiant. Vbi per Dei gratiam, opera & studio indefesso, nostri D. Iacobi, effectum est, vt magno numero aliquot millia subscriberent isti formulæ Concordiæ, atq; ita vanitas & falsitas Aduersariorum, re ipsa, facto & opere, refutata est. Maximo autem Nostro constitit labore, multis & longis itineribus opus erat, ad Principes Electores, & alios, ad Magistratus oppidanos, ad Conuentos varios, & Colloquia, quæ hac de causa sunt instituta & agitata, quin quennio ferè continuo, quo strenuè laborauit. Quas non suscepit itinerum molestias eundo & redeundo: quæ singula ordine recensere possem, nisi prolixitatem Orationis molestam fore metuerem, ideoq; breuitati studendum, cum aliàs inter dicendum, propter rerum varietatem & magnitudinem, sicut hæctenus audiuisstis, præter meam voluntatem, Oratio mihi excreseat, cum plura etiam de tanto viro mihi dicenda restent.

E 3 Interea



Oratio Funeris,

Interea enim, dum passim consensus Ecclesiarum, & subscriptiones, atq; iudicia libera singulis relinquuntur, & colliguntur. Ordinationes Ecclesiasticæ conscribuntur, Inspectiones & constitutiones Academiarum, Lipsensis, Vvittembergensis, Ihenensis, cuius cura etiam Electori Augusto, curatorio nomine tum incumbebat, tot Diocesium in Electorato Saxoniae & Misnensi, nempe 48, Superintendentias, quas vocant, tot Pastorum subscriptiones locis tam diuersis, ubi omnibus & singulis reddenda fuit ratio, qui aliqua de parte libri & formulæ dubitabant. Quosnam hic labores non exantlandi?

Quæ omnia sapienter ab Augusto Electore grauissimo consilio, ad Ecclesiae & Reipublicae salutem constituta sunt.

Defatigatus ferè sum percensendis, numerando saltem tot locorum, Regionum, itinerum, peregrinationum, Inspectionum, Colloquiorum, Conciliationum, nominibus. Ingens sanè animi robur, patientia admiranda, qua has potuit deuorare tantas molestias, tot duros catenatosq; subire & ferre labores. Multa enim miliarium millia confecit, solus ferè vnico adiuncto famulo. Vbi hoc admiratione dignum, quod ex ore ipsius aliquoties audiui: quod in omnibus illis itineribus, nemo illi factus fuerit obuiam, qui ipsum interpellauerit, nedum molestiam aliquam creauerit.

Tandem anno 80, prodit liber maximo multorum desiderio expectatus, magnaq; nostrorum gratulatione

ne

de vita & obitu.

He à tribus Electoribus Imperij, Principibus 21, Comitibus 22, Baronibus 4, Ciuitatibus Imperialibus 35. Ministris Ecclesiæ 8000. subscriptus & approbatus, præcipue verò studio, authoritate, iudicio, & spiritu planè heroico Augusti Electoris Saxonix, labore autem & opera Domini Doctoris Iacobi Andree, colatis tamen & communicatis antea sententijs, cum prædictis Theologis præstantissimis, & liberrimis omnium Ecclesiarum, Doctorum, & Ministrorum iudicijs & notationibus.

Quo nomine vterq; de tota Christi Ecclesia optime est meritus. Quàm enim vtile, quamque salutare fuerit & sit opus illud Concordiæ, quo certamina & controuersix, quæ in Ecclesias irrepsent, ad normam S. S. Scripturæ, dextrè & piè sunt diiudicate, sopitæ, & ex Ecclesijs nostris extirpatæ, consensus pius in omnibus partibus doctrinæ constitutus, pax & tranquillitas Ecclesijs restituta: Hæc tanta bona, paucis dici non possunt, & alterius sunt loci & instituti. Vt ergo salutaris fuit nostri Cancellarij opera, in hoc vniuerso Ecclesiæ negotio: ita grata fuit imprimis Electori Augusto. Quod cum multis alijs modis singularem suam erga hunc præsentem & discedentem declarauit clementiam, cū dono non contemnendo, thesauro videlicet eximio earthaceo, Bibliorum Antuuerpiensiuũ opere Complutensi insigni, quod Doctori Iacobo bene compactum dedit, testatus est. Nec id solū, sed & quod longè maius est & honorificū magis,

Oratio Funeris,

magis, cum hac inscriptione in fronte Bibliorum, gra-
uissimo iudicio, quo actiones Nostri omnes, grato ani-
mo clementer approbavit, commendavit, confirmavit,
elegantissimo stylo picta, in hæc verba, & hoc modo,

D. O. M.

GRATIA

D.

AVGVSTVS DVX SAXONIAE

*S. Rom. Imperij Archimarschalcus & Elector, Land-
gravius Turingia, Marchio Misnia, &
Burggravius Magdeburg:*

Hæc

*SACROSANCTA BIBLIA, SUMMO VI-
ro, pietate, doctrina & virtute ornatissimo, D. Iacobo
Andree. S. Theologiae Doctore celeberrimo, doctrina cœ-
lestis, ab ultimi Helie, D. D. Lutheri morte, in his regio-
nibus, ab hominibus leuissimis corrupta, Instauratori integ-
errimo, de Ecclesia Christi optimè merito,*

*Ob grati animi memoriam
sempiternam dono dedit*

Anno 5.

M. D. LXXIX.

*Et manu propria subiunxit & subscripsit sequens
etia :*

*Tandem bona causa triumphat,
Augustus Dux Saxonia Elector.*

Posteo

de Vita, & obitu.

Postea omnibus peractis, & optimè in Ecclesiis & Scholis constitutis, atq; vigentibus & florentibus, bona gratia ab Electore, in fine octogesimi anni, Decembris 21. clementer est dimissus.

Sed à multis hoc nomine pessimam iniuit & restulit gratiam. Propter studium enim pacis & concordiae, quanta, bone Deus, audire coactus est conuitiandum à quibusdam accusaretur, quod Christum & Belial, lucem & tenebras, bona & mala, confundere, & in vnum chaos redigere vellet.

Et quidem verum est, vehementer eum in hoc laborasse, vt dissidentes conciliaret, concordiae studens, salua tamen semper veritate, de qua nè minimum quidem decedere vnquam voluit, quod ex libro Concordiae, in quo annos quinque circiter continuos strenue laborauit, luculenter apparet.

Post reditum itaq; ex Saxonia, anno &c. 81 bis à Generoso Domino Vvolffgango Comite in Hohenloe propter certa quaedam negotia vocatus, egressus est.

Anno 83. noua quaedam eum excepit & exercuit calamitas domestica, pie defuncta ipsius vxore, cum qua coniunctissimè vixerat annos 37, sepulta in die festo D. Iacobi Apostoli, cuius obitu vehementer fuit perturbatus, suamq; orbitatem saepe diu, multumq; deplo-

F

deplo

Oratio Funeris,

deplorauit, neq; sine vulnere domum ingredi potuit
quod saepe nobis est conquestus.

Exacto sesquianno, piam & honestam viduam,
Reginam Prentzingerinam, quæ maritum priorem,
propter Religionem synceram secuta, in Exilium
sponte, deserta patria, Ratisbonam migrauerat, duxit
uxorem, cuius virtutes Matronâ piâ & sanctâ dignas,
sæpe commendauit.

Cumq; Calvinistæ Orthodoxum suum consensum
ædidissent, nemoq; prolixum librum refutandum sus-
ciperet, commendata est illius Refutatio, publica Au-
thoritate D. Iacobo Cancellario nostro. Qui eadem
hyeme, anni 83. & 84. opus ingens & arduum de re-
bus grauissimis, controwersia nempe & causâ vniuersâ,
de persona Christi, vnione Personali, Communicatio-
ne Idiomatum, veraq; corporis & sanguinis ipsius, non
solum in cœna sacra, sed & in toto terrarum orbe præ-
sentia, feliciter per Dei gratiam absoluit. Contra quem
librum ne hiscere quidem Aduersarij sunt ausi.

Vbi silentio non prætereundem putauî, quàm os-
diosè non solum ab apertis hostibus, sed etiam clandes-
tinis & semiCinglianis, qui tamen sibi pulchrè sapere,
& rectè de vera veri corporis & sanguinis Christi præ-
sentia in cœna eius, sentire videntur, adeoq; Pontificijs
Doctoribus exagitatus & flagellatus sit Noster, exco-
gitato ab ipsis monstroso & portentoso, monstrofae Va-
biquitatis, cuius Patrem & Patronum ipsum faciunt,
vocabulo

de Vita, & obitu

vocabulo. Qua docuisse eum carnalem & localem corporis Christi non solum in Coena, sed etiam omnibus in locis, quantumvis obscenis, herbis, folijs, lapidibus, cantharis cereuisiarijs, praesentiam, qua corpus ipsius per omnia diffundatur, expandatur, & cum diuinitate eius coextendatur, adeoque Cyclopicam quamdam Lanienam corporis Christi in Coena, & cruentam sanguinis eius potationem, & sic Thyesteam coenam sub nomine *Vbiquitatis*, turpissimè mentiuntur, cum nè quidem Diuinitatem per omnia expandi & extendi docuerit loca, siquidem Spiritus. Hocque modo & hac calumnia non solum personam Nostri, sed dogmata quoque exosa reddiderunt, cum horum nihil ille docuerit, neque ex scriptis eius vel nostrorum probari, aut monstrari potest. Neque ipse doctrinae de totius Christi praesentia, in omnibus locis, propter personalem diuinæ & humanae Naturæ vnionem inseparabilem, secundum modum Maiestatis & sessionis ad dexteram Patris, author fuerit. Sed hanc primum ex sacrae Scripturae, deinde Patrum Orthodoxorum veterum atque Lutheri illius magni (quem Augustus Elector Saxoniae, vt dictum est, vltimum Heliam vocauit) ab annis 60, & multorum aliorum syncerorum Doctorum per Germaniam, testimonijs comprobauit.

Et viderint isti, qui de totius Christi in Coena praesentia vera & reali, nobiscum sentire videri volunt, quomodo, cum tam diuersis locis, mille et amplius coena Domini, vno & eodem tempore ac momento celebretur,

F. 2

Chris

Oratio Funebris,

Christum omnibus illis simul praesentem adesse, statuere, sicque in coena retinere, negata ipsius omnipraesentia in omnibus locis, vel ubique, possint. Et cur eam negent, causam non habent. Sicut recte Petrus Martyr dixit: quod si Christi corpus duobus vel tribus locis simul praesens esse probetur: se de Ubiquitate verbum amplius vnum facere nolle. Nam quod dicunt isti, virtute Verbi in coena Christum suo corpore adesse: miror, quomodo non idem verbum de omnipraesentia eius, in scriptura sacra, videant, de quo paulo post.

Ubiquitas autem corporis Christi, quam D. Iacobus docuit, non est, ut Cingliani falso & malitiose ipsi imputant, hocque nomine passim illum infamarunt: quod in omnibus herbis, plantis, folijs arborum, & creaturis, ut iam dictum est, expansus sit. Neque etiam corporalis vel localis praesentia, qua videri vel palpari possit, quemadmodum stramen in sacco: sed quod totus Christus, et non sua tantum diuinitate, sed etiam assumpta humanitate, & sic totus, Deus & homo indiuisus, ubique in coelo & in terra, omnibus creaturis, visibilibus & inuisibilibus, caelestibus & terrestribus, caelesti tamen, spirituali, supernaturali, humanaque ratione imperuestigabili modo, vere tamen adsit praesens, omniaque etiam secundum humanam naturam videat, faciat, audiat, sciat, & praesens non absens (ut Rex Hispaniarum Indiam) administret & regat. Hoc est enim, quod sedere scribitur Christus, ad dextram patris collocatus, quod omnia praesens gubernet in coelo & in terra,

*Psal. 110.
Ephes. 1.*

Oratio Funeris,

nem seculi. Vnde Lutherus: nolo mihi Christum di-
uidas, vt solum vno in loco supernè in coelo, Deus &
homo sit, alijs vero omnibus Deus tantum, & non si-
mul etiam homo sit, hunc Christum ego nolo, qui vno
tantum in loco Deus sit & homo, alijs verò omnibus
solum Deus.

Hæc cum toties dicta & scripta sint, cum à Luthe-
ro ante annos 60, amplius, alijsq; rectè sentientibus
Theologis, nostra ætate & memoria, magno consensu,
& spiritu, ac veritate, ex scriptura sacra testimonijs de-
promptis, sicut alibi sunt à nostris collecta, scripta sint
& extent: tamen male feriat homines, quasi ista nun-
quam viderint, audiuerint, legerint, odiosissimè Nos-
tro, monstrosam semper Vbiquitatem asingere &
obijcere non sunt veriti, eumq; etiam à propria con-
scientia conuicti, hoc tamen nomine flagellauerunt,
cum toties contra sit protestatus.

Sed redeo, vnde sum digressus in mea oratione, ad
res gestas & peregrinationes D. Iacobi, quas Religio-
nis causa in Ecclesiasticis suscepit negotijs, vbi se offert
nobis celeberrima illa Montpelgardensis Disputatio,
quam cum Beza habuit, anno 86, mense Martio, in
qua collocuti sunt, de cœna Domini, de persona Chris-
ti, de Prædestinatione, de Baptismo, & templorum
Pontificiorum Reformatione, atq; Adiphoris, quæ
quia typis excusa est, quidq; quantumq; vterq; præstie-
terit, notum sit ex Actis, nolo quicquam hic addere.
Herculeos autem labores Nostri, omnibus confides-
randos relinquo.

Anno

de vita & obitu.

Anno 87. Nördlingam oppidum Imperiale in Rhetia situm, vocatus est à Senatu illius, mense Aprili, ad negotium quoddam Ecclesiasticum componendum. Quo confecto, in reditu non procul hinc, in Alpibus, Pago quodam Gechingen, febri correptus est 29 Aprilis, qui morbus vsq; ad vndecimum Maij durauit, quem morbum cordis palpitatio secuta est cum Cholica. In hoc morbo ad se vocauit Rectorem & Senatam Academicum, coram quibus suam fidem esse confessus, idq; maximè hac de causa, vt se mortuo, testimonium ipsi perhiberent, de fidei suæ confessione, & constantia propter Aduersarios, quorum calumnijs sit obnoxius. His malis valetudo eius afflictata est satis duriter, vsq; ad Iunij quartam diem, quo primùm colligere vires coepit. Hinc ad balneas Zellenses, mense Augusto, se contulit, confirmandæ valetudinis causa:

Vnde rediens, Ratisbonam mense Octobri, à Magistratu illius loci, ad componendam Quæstionem Ministrorū illius Ecclesiæ, de vsura, vocatus, proficiscitur, ibiq; permansit, vsq; ad 26. Ianuarij, anni 88. Quia verò magna ex parte, Concionibus publicis, & alijs scriptis Dominorum Iureconsultorum comprehensa, typis excusa, & euulgata extant: longiori commemoratione supersedeo, vt ad alia accedamus.

Hinc enim recta Onolspachium ab Illustrissimo Principe ac Dño, Dño Georgio Friderico Marchione Brandenburgico vocatus, contendit, quo Cal. Febr. venit:

Oratio Funeris,

venit: quod aulicum haberet Concionatorem, qui de erroribus Calvinisticis erat suspectus, callidè tamen id dissimulans in Concionibus. Cuius errores detexit, ex chartis quibusdam ab ipso scriptis, quibus non bona fide ex nostrorum, & D. Iacobi scriptis, collectis testimonijs, illos secum convenire, hincq; suum confirmare errorem, & probare conabatur. Conuictus autem, cum errores suos agnoscere nollet, sed pertinaciter retinere, nè plures inficeret, à Ministerio remotus est.

Edito Colloquio Montpelgardensi, de quo paulo ante, cui etiam interfuerant Bernatum Theologi, & inter hos Abraham Musculus, adiuncti Beza: Dominus Samuel Huberus, lecto libro, cum absurda, impia, ac horrenda Bezae dogmata in Thesis eius reperisset, 1. Christum non pro omnibus hominibus esse mortuum. 2. Promissiones Euangelij esse particulares, non Vniuersales, 3. Absoluto Dei decreto, absq; vlla antegrediente causa, plerosq; homines, vnâ & sola Dei voluntate, causâ rerum omnium, reprobari, 4. In Baptismo nullam salutis certitudinem esse quaerendam: contra hæc disputare coepit. Itaq; vocati sunt à Bernatibus, Beza, Iacobus Grynaeus, Guilhelmus Struickius Tigurinus, & Iohannes Ietzlerus Schaffhusanus, Theologi, qui cum isto disputationem instituerunt. Cumq; hi ad Magistratum de disputatione referrent, significauerunt, nihil horum à Beza & Musculo, in Colloquio fuisse propositum (intelligebant enim dogmatata

de vita & obitu.

gñata ista in Ecclesia Bernensi non habitura locum) sed Huberum, libro Tubingæ edito, & mendaci euulgato (Acta Colloquij Montpelgardensis notare volentes) à Doctore Iacobo, dolo malo afficta esse, temerè credidisse. Quæ res cum non solum ad iniuriam D. Iacobi, sed etiam Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Friderici, Comitis Vvirtembergici & Montpelgardensis, spectare iudicaretur, qui Acta istius Colloquij sua Præfatione & testimonio confirmauerat: iam non scripto, sed voce coram refutandam istam calumniam, & iniuriam atrocissimam, visum est. Decreta itaque Legatio est, qua Noster, adiunctis alijs Politicis, à Principibus duobus Vvirtembergicis, de illa conquererentur apud Senatum Bernensem, & propitio Deo Septembris 4, Bernam venère, atq; à consule, & Magistratu audiri se petierunt, vt exponerent ea, quæ à suis Principibus, in mandatis accepissent. Quod negatum illis non est.

Sexta enim Septembris, pro more Reipublicæ ad minorem Senatum, qui constat ex præcipuis Capitibus, intromissi: proluxa oratione D. Iacobus de iniuria ista grauitè conqueritur, Principiq; Friderico, & sibi honorem suū restitui petit à Theologis Helueticis. Secundo docet, articulos istos quatuor ab Hubero reprehensos, in Thesis à Beza conscriptis, manuq; reliquorum Theologorum signatis, & approbatis, contineri, eorumq; Chirographa se in medium proponere

G paratum



Oratio Funeris,

paratum. 3. Multa quoque alia à Calvinistis profemina
nari dogmata non minus absurda atque illa.

Post multa, quæ cum publicè tum priuatim utrinque
sunt dicta, D. Iacobus significauit, ad sedandos
motus, ad conseruandam famam Reipublicæ Bernens
sis, nullam sibi videri expeditiorem viam ac rationem,
quàm si utrinque Helueticæ & Vvirmbergicæ Theologi
conueniant, atque autographa, cum excuso conferantur li
bro, facile tum apparituro, qua fide vel perfidia Theo
logi isti causam proposuerint.

Placuit hoc consilium Consuli & Senatui. Itaque 7.
Septembris profertur sententia: Omnibus probari
consilium, quod D. Iacobus subiecerat, seque scripturos
hac de re ad Illustrissimos Principes, ut illi quoque con
sentiant, similiter & ad Helueticas Respublicas, ut illæ
quoque conuentui celebrando, consilium & auxilium
præstent. Nec quicquam intermiserunt Bernates,
quod ad promouendum conuentum faceret. Sed va
rijs modis à Theologis Helueticis Conuentus est im
peditus, quod intelligerent, causam malam se fouere.

Cum igitur animaduernerent Theologi Helueticæ,
Bernensem Senatum D. Iacobi sermone plurimum
permotum, omnibus quibus potuerunt modis obstite
runt, dissuaserunt, præcauerunt, ne Conuentus iste insti
tueretur, sicut Abraham Musculus ad Grynæum 26.
Septembris tum, quid Legati Vvirmbergicæ Bernæ
impetra

de vita & obitu

impetrauerint, scripsit: Quod summo honore affecti discesserint, re licet non quidem ex animo perfecta, non tamen infecta, cum plurimos à Schmidlino fascis natos fuisse, hætenus deprehenderimus. Expectatur vestri Magistratus responsum, cui non dubito, quin tu quoque author & suator sis futurus, detrectandi tam infructuosi & periculosi conuentus. Hætenus illius verba,

Incidit & infelix bellum Bernensium, cum Duce Sabaudia, quo consilia ista de conuentu Theologorum etiam sunt impedita. Commodè tamen & peropportune factum est, vt in Senatu virorum sapientia, virtute, & pietate præstantium, Noster Confessionem sinceræ doctrinae de controuersis articulis, inter nos, & Helueticos Theologos, proponeret, & copiosa oratione explicaret.

Postrema actio publica, & Colloquium fuit Badenæ, anni præcedentis, mense Nouembri. Cum enim, vt supra dictum est, ante annos 33, Ecclesias Marchionatus Badensis, quæ ad Illustrissimum Principem Carolum Marchionem, Dominum olim meum clementissimum, pertinebant, abrogato impio & Antichristiano Papatu, iuxta doctrinam Euangelij, & formulam Confessionis Augustanæ, quam ipse amplectebatur, reformassemus: Ioannes Pistorius Nidanus, Medicinæ Doctor, patre pio, & docto Theologo, Superintendente olim Hassiæ, natus, postquam in aula ipsius medicinam fecisset, eoque mortuo, Pistorius ad Calvinistarum

Oratio Funeris,

inclinaret sectam, ad Papistas iam totus defecit, palam
que impietatem istam profiteretur, atque omnibus, quibus
potest modis, imprimis sua Sophistica fretus, des-
fendere conatur. Huius conatibus nos opposuimus,
Conuentum est itaque Badenam, & Colloquium inter
D. Iacobum & Pistorium institutum. Quod cum bi-
duum durasset, Pistorius abruptit, quod Acta, quae sub
prælo sunt, testabuntur. Ideoque prolixiorem eius hinc
quoque commemorationem omitto.

Post reditum, quod Disputatio de Ecclesia vix in-
choata, mox, ut dictum est, abrupta esset: cogitavit D.
D. Iacobus, quonam modo argumentum propositum,
copiose & perspicue explicari posset: quandoquidem
Colloquium vix dum inchoatum, intempestive erat ab-
ruptum. Itaque descriptionem illius adornare coepit, pro-
positis à Iesuita et Lutherano Theologo, utriusque partis
argumentis, & in medium adductis, coram Præside
veritatis cognoscendae studioso, non secus, ac si præ-
sentes colloquerentur. Idque tanta animi, et omnium vi-
rium corporis contentione, tanto studio fecit, ut coram
me professus sit, se optare, ut si fieri posset, non solum va-
traque manu, sed etiam pedibus scribere queat: nec alie-
ter se affectum esse, quam si quis instaret, & vehementer
vrgeret, atque properandum instigaret. Singulis autem
diebus complura folia scripsit, quae mihi quotidie fere
vesperi tanquam pensum suum, legenda misit. Quod
scriptum duabus septimanis absoluit, ea ipsa die, qua
in

de Vita, & obitu

in morbum incidit, postremam manum admouens,
verè *κύκνειον ᾄσμα*. Cygnea cantio.

Dixi haecenus de peregrinationibus, laboribus itinerum, legationibus, atq; certaminibus, non quidem omnibus & singulis, quis enim omnia, (nisi multis horis) enumeraret: sed praecipua attingere volui, ut cognosceretur, quam impiger fuerit ad labores perferendos pro gloria Christi, eiusq; Ecclesiis vel plantandis, vel reparandis, quibus ego vel saltem commemorandis sum defatigatus. Ipse vero, tanquam bonus miles Christi, strenuus & indefessus, omnia ista fortiter, magnoq; superavit animo.

De Iulio Caesare scripto relicum est, quinquagies cum hostibus signa eum contulisse. Simile quid Auctores referunt, de Henrico Imperatore eius nominis quarto, quod sexagies bis cum hostibus sit congressus. Hic noster Antesignanus, numero non paucioribus, sed multo pluribus praelijs, cum diuersis Aduersarijs congressus est, & superior ac victor euasit, gladio spiritus, quod est verbum Dei, fretus, & vsus. Sunt autem haec certamina Ecclesiastica longe pulchriora istis, cum sint plerunq; incruenta (nisi vbi Pharisei lapides tollunt, quos iaciunt in Christum eiusq; Discipulos, vbi necessariorum putant se litare Deo, obsequiumq; illi praestare gratissimum) & victi nullam istis faciunt iacturam, sed si agnoscant, & cedant veritati, dantes gloriam

G 3

Deo

Oratio Funebris,

Deo, salutem consequuntur perpetuam. De quo pugnae & victoriae genere, Psaltesolim cecinit, quod Apostoli eorumque veri successores transeant per vallem lachrymarum, fontes faciant, atque effodiant in ea, ac progrediantur de victoria in victoriam, ut appareat, quod Deus sit in Sion.

Principibus nostrae Religionis notus & gratus fuit, cumque eis conuersatus, Erat enim in conuersatione suavis, humanus & gratus.

¶ Magna autem cura & solitudine tenebatur Ecclesiarum omnium, siue in quibus fuerat, siue non fuerat, ut saepe hoc Apostoli repetiuerit, incumbit mihi sollicitudo Ecclesiarum omnium.

Maximè verò, cum intelligeret, vel seduci, vel deficere Ecclesias ab agnita veritate, vel alijs deformari scandalis aut dissidijs earum perturbari pacem Ibi tum eiusdem ingeminabat Apostoli: quis scandalizatur, & ego non vror? quae vtraque me ex ipso saepe audire, memini Habuit enim & hoc quoque cum eodem Apostolo commune (si licet magnis componere parua, scio enim odiosas esse comparationes, cum tamen parua haec non sint) quod post ipsius discessum, in bene & rectè constitutis Ecclesijs nonnulli defecerint. Quod proh dolor res ipsa plus satis testatur & loquitur, euentusque docuit & docet, Sicut illic à pseudoapostolis seducti Galatae. Et in Ecclesia Corinthiorum, scandala, schismata,

de vita & obitu.

Schismata, dissensiones, hæreses etiam sunt exortæ. Et post suum discessum, Ephesi idem futurum, Apostolus vaticinatur. Quæ viro nostro, Zelo pietatis feruenti, supra modum doluerunt, vbi etiam eorum, quæ ad emendationem facere videbantur, præsens, vel absens per literas crebras, nihil prætermisit.

Quid de alijs ipsius laboribus dicam? de scriptis eius, de Disputationibus varijs, plurimis, quibus materias grauissimas et difficilimas tractauit: de Concionibus frequentissimis, quas ad populũ dedit, & postea multas descripsit & euulgauit. Quid de libris ab ipso vario argumenti genere scriptis, editis, propemodum innumeris, quibus Germaniam fideliter erudiuit, cum contra Calvinistas, tum Papistas, & alios. Est quidam vir doctus & diues, qui se varia eius habere scripta, numero centum quinquaginta, huc nuper perscripsit. Quid multis opus est verbis, vt vno complectar omnia: tota ipsius vita hinc à puero, continuus fuit labor, & actio perpetua. Vnde maximum sibi comparauit vsum, plurimarumq; rerum maximarum experientiam, cum alijs quocq; ingenio esset sagaci, iudicioq; acri.

De vita ipsius priuata, & moribus, multa dicere, temporis angustia excludor, honestum illam & irreprehensibilem egit, vitæ innocentia & pietate ornans Ministerium, benè rexit familiam, q̄ habuit copiosam & obsequentem, ita vt quamuis abesset plurimum, tamen etiã absens præsens fuerit suis, admonitionibus ad Dominum, inq; officio suos, authoritate sua continue:

rit

Oratio Funeris,

rit, ne peccarent, sed in omnibus obtemperarent liberi. Nec ex malitia aut proposito peccauit ipse. Homo tamen fuit, non Angelus.

Et multæ, & magnæ sunt infirmitates humanæ. Sicut & agnouit & confessus est defectus suos, ac remissionem peccatorum credidit, & seriò petijt à Deo & hominibus, si quos offendisset. Fatebatur enim cum Apostolo Paulo, se non semper bonum facere, quod vellet, sed malum, quod non vellet.

Mentem etiam habuit futuri præfagam in multis, quemadmodum & suæ mortis instantis. Nam cum rectè adhuc valeret, nec vlla adessent morborum indicia, aliquoties hoc anno mihi dixit, animum suum sibi præfagire, se non fore diu amplius superstitem, huiusquæ vitæ se pertesum, cupere emigrare, & esse cum Christo, quod multò sit melius.

Item hoc quoquæ multoties repetijt anno præterito: vbi templi renouatio & ornamenta Organi, tubæ, dulce melos, et horologium nouum in turri templi, absoluta fuerint, postea moriar.

Et proximè, cum Badæ essemus, filio suo D. Magistro Iohanne, Herenbergensis Ecclesiæ Pastore, & vicinarum Superintendente præsentem, mihi dixit: tu mihi parentabis, & alia quædam. Quibus omnibus,
proh

de Vita, & obitu.

proh dolor, euentus tristissimus, exigui temporis mora interueniente, respondit, sicut hodierna dies testatur.

Nam cum Deo Opt: Max: visum esset, fidelissimum suum Ministrum rebus eximere humanis, eoque hoc ergastulo corporis liberare, decimo octauo Decembris in morbum incidit, cuius initium fuit catharrus vehementissimus. Eius rei testes mihi sunt, Decanus et reliqui Professores Collegij philosophici. Cū. n. iam dicta die, hora 12. conuenissemus ad audiendas rationes Oeconomi contubernij, (cuius inspectio nobis est demandata) quas ille Noster exactissimas reddi voluit, vt tenuioris fortunę Studiosis consuleretur, ne propter rerum omnium & temporum difficultatem, studia cœpta deserere cogerentur: ad mediocritatem redigat, & tolerabilem victus rationem instituit. Ibi tum morbo affectum vidimus. Catharrus enim vehementissimus illi defluxit, toto isto tempore, quo vnâ fuimus vltra quatuor horas, magna copia, coniuncta tussi, quæ utraq; illi erant molestissima. Attamen nulla habita valitudinis ratione, cum sæpius à nobis moneretur, sibi vt parceret, domumq; reuersus, valetudinem curaret, eiq; daret operam: ab instituto se dimoueri non est passus, sed ab hora duodecima, vsq; ad noctem nobiscum mansit, donec rationes istæ absolute essent. Cumq; ex illo conuentu domum essemus reuersuri, monebam, vt statim se domum in hypocaustum conferret, Quod & factum est.

H

Et

Oratio Funeris,

Et ecce non longo temporis intervallo, horam circiter nonam noctis, me per filium Doctoris Philippi Graueri ad se vocat, quod male habeat, & decumbat. Quem statim ego, nulla interposita mora, arrepta tunica, praeeuntem sequor, inque lecto decumbentem in hypocausto reperio, male affectum, quod punctiones sentiret in dextro latere: & una cum ipso Doctorem Grauerum, edicinam adhibentem. Quam primum veni, condolens salutavi. Ipse vero, ut fuit vir civilis, culpam deprecatur, quod importuno tempore & nocte intempesta, meam interturbet quietem nocturnam. Deinceps causam propter quam me vocauerit, exponens, hanc esse ait: Quod cum nesciat, quid ratione valetudinis de se futurum, & facturus sit Deus Opt: Max: nec ignoret, varia Aduersarios suos, de se, fide, & morte sua post obitum sparsuros: ut de sua fide, doctrina, atque Confessione coram me testaretur, eiusque rei testimonium sibi perhiberem defuncto.

Eadem autem fuit cum ea, de qua mox dicetur, quam coram vocatis testibus publice fecit. Paulopost, tum aduenerunt vocati, & Pastor Ecclesiae nostrae Doctor Siguardus, coram quo eadem repetijt, & Daniel Mögling Medicinae Doctor ac Professor, qui cum altero prius nominato Doctore, de morbo, & conuenientibus remedijs adhibendis, contulit. Quibus postea etiam adiunctus toto morbi tempore fuit, Clarissimus vir D. Georgius Hambergerus Medicinae Doctor, & Professor

de vita & obitu.

Professor in hac Schola. Ego ad vndecimam vsq; cum eo permansi, qua me domum redire voluit.

Ægrotauit aut̄ dolore lateris dextrī circa costas spurias inferiores, grauissimas, quoties tussiret, tum etiā frastim, punctiones sentiens, pleuritidem vulgo à læsa particula, nominant. Vbi non tantum membrana succin gens costas, exterior & interior, verum etiam muscoli interni vicini affecti fuerunt. Vnde maximam copiam pituitosæ, lentæ, & viscidæ materiæ, toto ferè morbi decursu, pertussim & expuitionem, ad admirationem usque (quod frequenter vidi, cum quodotidie ferè accederem) reiecit. Quæ res, vnà cum e, quod *πρὸς ὄψιν* nunquam accessit, (quæ tamen alias vt plurimum huic affectui succedere solet) spem Medicis (inter quos etiam vt dictum est fuit D. D. Georgius Hambergerus, Professor Medicinæ hic) in magna metu constitutis, dedit bonam, fore, vt salus ægrotō contingeret. At cum vires indies infringerentur et languerent, vt tandem viscidam illam, & instar glutinæ tenacissimam materiam reijcere amplius, varijs etiam administratis incidentibus & apparantibus pharmacis, non valeret, tandem natura victa morbo cessit, cum decubuisset ægrotus viginti vnum dies. Toto autem morbi tempore, miram præstitit inter cruciatus & punctiones, fidem, constantiam, pietatem, patientiam.

Cum igitur finem vitæ sibi appropinquare sentiret, paulatim deficientibus viribus, die festo Epiphasianorum,

Oratio Funeris,

niorum, pridie sui obitus, à Concione matutina, ad se vocavit Magnificum Dominum Rectorem, Decanos tres, (eramus enim D. Stephanus Gerlachius, & Ego pridie euocati ad Consiliarios Consistorij Ecclesiastici, Bebenhusium) Doctorem Brentium, D. Parochum, & & duos Diaconos, presentibus etiam tribus filijs, & Genero, D. Anthonio Schvveickharto, hisce verbis compellauit: Magnifice Domine Rector, Clarissimi & ornatissimi viri, fratres in Christo charissimi: meministis, quam coram vobis ante triennium circiter, cum etiam grauius aegrotarem, Confessionem fidei & doctrinae meae ediderim, vosq; & alios tum praesentes Dominos rogauerim, vt eius, mortisque meae testes mihi essetis: siquidem Aduersarij mei spargere possent, nescio quo horribili mortis genere extinctus sim, cum non Ecclesiae ipsorum membrum fuerim, sed eam grauisime impugnerim.

Ad istam Confessionem etiamnum me refero. Et sentio & iudico hanc doctrinam, quam in Schola & Ecclesia, ac scriptis editis defendi, veram, & diuinitus esse traditam, quam etiam eorum tribunali Christi, in fracto animo, ex verbo ipsius defendam. In cuius rei fidem & confirmationem, iam etiam in conspectu vestrum omnium, sacrosanctam Domini coenam percipiam.

Commendo Rectori Magnifico, & Senatui amplissimo, fidelissimam meam vxorem, & liberos morigeros

de vita & obitu.

geros, vt vbi illis vestra opus fuerit operæ, vestro consilio & auxilio adsitis.

Et quia etiam homo sum, & humanis infirmitatibus quoque obnoxius, vnde fieri potuit, vt vel vniuersum Senatum Academicum, vel vnum & alterum ex isto ordine, vel etiam alios verbis aut factis, offenderim: peto mihi ignosci.

Maximè autem mihi curæ fuit sincera Religio, boni mores & Disciplina, quam etiam porro curabitis seuerissimè. Permagnam enim est, si Iuuenis, qui huc studiorum causa mittitur, disciplinæ neglectu corrumpatur.

Vltimò. Te D. D. Varnbülerum, compatrem meum rogatum volo, vt si non conualuero ex hoc morbo, meo nomine, Illustrissimo Principi meo valedicas, eiusque Celsitudinem rogare me, vt significes, sicut hactenus, ita porro etiam vxoris meæ fidelissimæ, & liberorum morigerorū, clemens & propitius Dominus esse velit. Postea publicam peccatorum suorum, fecit Pastori confessionem, & absolutionem petijt & accepit. Quibus ita rite confectis, cœnam Domini ex manu Pastoris nostri percepit. Postea Deo Patri cœlesti ex animo gratias egit, pro donato filio, & verbi diuini partefactione, pro vera fide data, & reliqua in hanc sententiam.

Quibus peractis, Rector vniuersitatis, de sua & Senatus

Oratio Funeris,

Senatus voluntate testatus, similiter & D. D. Varnbū-
lerus, se fideliter se hæc ad Illustrissimū Principē relatus-
rum, recepit, Ad hæc singuli Domini, manu data, vltis-
mū vale dixerūt, & non absq; lachrymis discessum est.

Eadem die, à meridie, quia in vicinia erant Bebens-
husij (vt obiter iam antea dictum est) Reuerendi &
Clarissimi viri, Dominus Iohannes Magus Præ-
positus Stutgardianus, consocer D. D. Iacobi, nec
non & Affinis D. D. Lucas Osiander, Ecclesiastes au-
læ Vvирtenbergicæ, cum ex me pridie vesperi intelles-
xissent, grauiter eum & lethaliter decumbere (talem
enim eum reliqueram egrediens) huc se officij causa
contulerunt, cum eoq; ad horas aliquot, postremum
familiariter conuersati sunt, quibus etiam tranquillo
animo significauit, se totum ad felicem migrationem
ex hac vita, paratum esse.

Sequentem noctem partim in sella sedendo, par-
tim in lecto iacendo, dormitabundus consumpsit. Ad-
fuerunt autem illi filij per vices, donec matutinum ap-
propinquaret tempus, & vires paulatim deficerent. Ibi
tum horam circa quintam, & D. Pastor, & Medici vo-
cati sunt, qui in sella sedentem inuenerunt dormituri-
entem, Ibi tum D. Möglingus, de valetudine quaerens
& quomodo haberet? Respondit, Germanica lin-
gua: Von Gott vngesehender. Cum autem hora sexta
audiretur, quæsiuit, quota hora esset? cumq; respon-
deretur, Sexta: mox inquit, hora mea appropinquabit.
Media septima, ipsemet de sella surrexit, & in hypo-
causto

de Vita, & obitu.

causto semel atq; iterum obambulavit. Tum Medici duo, quod non putarent horam mortis tam propinquam esse, ab eo discesserunt, hac significatione addita, se 12. reuersuros, interea autem in officina medicamentata quedam paraturos. Circa septimam, denuo se in lectum contulit, & ad Pastorem propè in scamno assidentem conuersus dixit: *Mein lieber Pfarrer, es muß geschehen seyn / da wird nichts anders auß /* cui Pastor: *Artem, mi Domine, alios per 44. annos docuisti, quomodo videlicet piè sit moriendum, iam tempus adest, vt ipse eam exerceas.* Respondit D. Iacobus: *Necesse est, vt alium quempiam nobis adiungamus, qui sit nobiscum. Christum respondit Pastor habemus, qui pugnat nobiscum & pro nobis, vt victoriam reportemus.* Ad quod ille: *ad Romanos scriptum est: In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. In quam sententiam plura hinc inde dicta sunt ex scriptura sacra consolationis plenissima, ad quæ ille semper appositisimè respondit, semper de suæ fidei in Christum constantia locutus & testificatus, quod Domino viuere velit & mori.*

Ad hæc interuenit Nobilis & pia Matrona & vidua, Dña Agnes Megetzerin vicina, quam cum vidisset, pileum nocturnum de capite suo detraxit, manuq; porrecta, gratias cum pro hoc, tum etiam alijs beneficijs, morbi tempore præstitis, egit: addita fausta precatione, vt Deus Opt. Max. omnium beneficiorum retributor, ea & in hac, & futura vita, compensaret.

Semel etiam tum adhuc, colloqui se cupere cū D. D. Osiandro,

Oratio Funebri,

Osiandro, significauit : quod cum sui intellexissent, statim, nulla interposita mora, famulum ipsius equo uectum egredi Bebenhusium iubent, qui celeriter adfuit. Conscensis itaq; equis D. Doctor Osiander, & Dominus Præpositus Stutgardianus, quanto cyus potuerunt, huc aduolauerunt, sed priusquam hi aduenirent, iam expirauerat.

Antequam autem hoc fieret, interea à Pastore interrogatus, num adhuc in ea doctrina, quam Ecclesiæ per annos 44. proposuerit, constanter perseuerare uellet : Respondit omnibus, qui tum in hypocausto aderant, audientibus : Ita, in hac Confessione moriar, Verba etiam hæc præeuntem Pastorem : In manus tuas Domine, commendo spiritum meum, sequutus est.

Cum autem postremò vires omnes deficere uiderentur, filius Magister Iohannes, cuius supra quoq; facta est mentio, parenti proximus assistens, sententiam Apostoli : Bonum certamen certauit, &c. de cætero reposita est mihi corona Iustitiæ, &c. in clamare ei coepit in aurem, patrem interrogans : num sibi quoq; hanc iustitiæ coronam repositam crederet? Apertis oculis intuitus eum, annuit, & longè petito et attracto spiritu, respondit : Ita, Quæ postrema eius fuit vox, postea enim nihil proloquutus, sed intra se precatus est, & sic in precibus & in quiete placide, nullo incomposito gestu, vel motu, multo minus membrorum distractione, dormienti similis, beatam animam expirando, Deo reddidit, & in

de Vita, & obitu.

& in fide Christi, vnici Saluatoris & Redemptoris, reuera obdormiuit Theologus summus, Ianuarij 7, inter octauam & nonam matutinam, cum vixisset annos 61. Menses 9. dies 13, horas 6. Quæ hoc modo, & non aliter facta esse & gesta nouerunt omnes, quotquot adfuerunt. Adfuerunt autem complures, cum nemo accessu prohiberetur.

Funus elatum est humeris vicinorum Pastorum octo, qui postremum hoc pietatis officium, Præceptorum optimè de se & alijs merito, præstiterunt, portantes ad templum Ecclesiæ collegiatæ, vbi sepultus est 9. Ianuarij, in quo per annos 34. primùm Diaconus, postea Præpositus, magna cum laude, fidei suæ commissum gregem, pabulo verbi Dei incorrupto, pavit.

In pompa funebri, Illustrissimi nostri Principis loco, Legatus, Vir generis nobilitate, virtutibus, sapientia, & pietate præstans, Gedeon ab Ostheim, Præfectus vrbis huius superior, primus & immediatè ferendum est secutus; dehinc longo ordine filij, & Generi, & propinqui. Hos Rector Magnificus, Barones, quotquot studiorum causa hinc versantur, dehinc Professores omnes, Nobiles complures, domestici, & extranei, qui honoris causa huc aduenerunt. Hinc præfectus inferior, Consules & Senatores oppidani omnes, ciuium turma ingens, vidua defuncti, filia & nurus, Matronæ nobiles, & aliæ quam plures, Professorum vxores, & filia,

Oratio Funeris,

filiae, virgines, & vt vno verbo dicam (quod vidistis) vniuersa propemodum ciuitas, magno & comuni luctu suum Prepositum non solum defunctum sequebantur, sed etiam multis gemitibus, suspirijs & lachrymis pro sequebantur, spectaculum triste, omnes & singuli Prepositum suum sibi ereptum querebantur. Hunc princeps noster clementissimus, in vita hac, si ita Deo visum fuisset, Doctore suo Medico Osualdo Gabelhouero misso, retinere cupiebat, iam amissum dolet. Atq; ita ingens & triste reliquit sui desiderium.

Vt autem nos hac vita functum dolemus, quod tali tantoq; orbati simus viro, & quidem hoc tempore, quo maxime illius nobis opus erat opera, praesentia, & praesidio, inter tot Ecclesiae dilacerationes, dogmatumq; confusiones: Ita Aduersarij ipsius & nostri in sinu gaudent, imo serio triumphant, communi quasi sublato hoste. Quod ipsum Saluator noster dulcissimus, suis quoq; praedixit Discipulis, de immani Pharisaeorum odio contra ipsos. Et quemadmodum nos dona Dei excellentia, quae in hoc organum salutare contulit, admiramur, eiusq; clementiae & bonitati, pro istis agimus gratias: Ita Aduersarij eius, non solum Pontificij, sed etiam Calvinistae, aperti & clandestini, memoriam eius maledicent, omnis generis conuitia & mendacia in defuncti personam iacentes, in mortuum leonem saeuientes, doctrinamq; eius haereseos damnaturi.

Dicitur alias: liuor post fata quiescit. Sed hypocritarum & Pharisaeorum tantus est furor, tanta rabies

&

de Vita, & obitu.

& crudelitas, vt odio exaturari nequeant. Ideo etiam in mortuos sæuiunt, sicut Pontifices Iudæorum, Christo Domino in sepulchro maledicunt, Impostorem vocantes, eiusq; resurrectionem metuentes, eamq; impedire conantes.

Audio iam à quibusdam Sacrificulis in vicinia, publicè ex suggestu, ad vulgus spargi mendacium diabolicum, Nostrum D. Iacobum ante vitæ suæ finem, vniuersam suam doctrinam, quam per omnem suam vitam professus est, reuocasse, errorisq; damnasse. Quid alibi futurum putamus, in locis et regionibus remotioribus?

Præterita septimana loco non obscuro, in frequentia grauium & Nobilium virorum à Pontificijs scripta est Epistola & lecta, qua magna asseueratione contendere non dubitarunt, Nostrum ante vitæ finem anxie, petisse à suis vt Iesuitam aduocarent, qui sacra sibi administret. Quod cum detrectarent illi, in desperationem incidisse, inq; hac finiuisse vitam. Hæc non tantum fabulæ sunt, quibus isti se suosq; oblectant, sed putidissima, turpissima, horrenda et detestanda sunt mendacia & plusquam Diabolica, quibus se pascunt homines leuissimi.

Quis autem adeo demens est, & stupidus, vt non intelligat, calumnias esse non ab hominibus confictas, sed à diabolis infernalibus, mendaciorum patribus natas, & ex infimo inferno allatas, perq; sua flabella spargi? Te appello, Rector Magnifice, vos Decanos, et reliqua Academię nostrę lumina, quicumq; est in morbo hoc visitastis,

Oratio Funebri,

tastis, sicut omnes vos & singulos Professores officij
causa eum accessisse arbitror: Vos, inq̄ appello, an non
hæc eadem, quæ supra commemoravi, ex ore ipsius au-
diueritis, cum non integrum amplius diem viueret?
Sed quid Apostropha hac opus est? cum iam hac de re
publicè sitis cōtestati. Sicut totus iste Actus, à vobis de-
scriptus, in lucem editus est, & funebri Concioni annexus.
An non præfagiens diabolicam calumniam, vi-
uus adhuc de industria, magnoq̄ studio & diligentia,
præcauere, quantum omnino potuit, voluit? Vnde
quantum fidei in alijs quoq̄. Calumniatores isti mere-
antur, quiuis qui non volens vult decipi, facile intelli-
git.

Dictum, & me etiam tacente, notum est, cuius
modi amiserimus virum, cuius parem, tot, tantisq̄ no-
minibus antecellentem, donisq̄ à Deo plurimis & ma-
ximis præstantem, Ingenio, memoria, doctrina varia,
facundia, iudicio, animi magnitudine, vsu & experien-
tia rerum varia non reperiemus (rara hæc Dei dona
sunt) Qui cum principibus nostræ Religionis prope-
modum omnibus est conuersatus, qui in rebus & ne-
gotijs grauissimis Ecclesiasticis exercitatissimus, qui tot
Legationes obiuit, itinera & peregrinationes tam lon-
ginquas fecit, qui tot scripta utilia in lucem dedit, tot
controuersias Religionis feliciter composuit, Ecclesias
à fanaticis perturbatas, instaurauit, qui formulam Con-
cordiæ, omnium temporum memoria dignissimam, in
qua nostræ ætatis controuersia tam dextre sunt dijudi-
cata,

De vita & obitu.

cata, ne omni vento doctrinae imperiti circumferantur
dubij, magna ex parte conscripsit, confecit, cui secun-
dum hoc seculum nostrum non habet, nulla ferent pas-
sem secla futura virum.

Hunc talem, inquam, amissimus virum.

Magno itaq; ornamento, imò præsidio, Respub.
hæc nostra scholastica, & Ecclesia Christi, eius obitu
priuata & orbata est. Ideò meritò mortem eius des-
ploramus: non quod male cum ipso actum putemus:
Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur à modo:
quia requiescunt à laboribus suis, opera enim eorum
sequuntur eos: sed propter nostram orbitatem, quod
gubernatore isto studiorum, & Nauclero, navis nostra
priuata sit & destituta. Hunc desiderat, hunc lugeat, &
amissum schola hæc, Concio præsens, Templum, Ciuis-
tas Antesignanum hi ipsi parietes, inter quos vox ipsius
us in publicis Conuentibus de rebus grauissimis et vti-
lissimis differens, audita est, lugent. Qui salutaria multa
fecit, dixit, docuit, proposuit, viam ad aternam salutem
planam, ex scripturae sacrae medullis extrahens, in lus-
cem produxit, & fidelissimè tradidit. Qui miseros &
perturbatos consolatus est, & dulcissimis promissioni-
bus diuinis erexit, ad cor loquens. Qui vitia & morum
dissolutionem abominatus est, voceq; legis diuinæ se-
uerissimè corripuit. Qui ad vite emendationem, ad
pœnitentiam seriam ac salutarem, magno pietatis Ze-
lo, Auditores est cohortatus, vt pater liberos, Qui ora
contradicentium verbo Dei obturauit.

I 3

Pro

Oratio Funeris,

Pro hoc salutari organo, Deo ingentes agamus gratias, quod usum ipsius tot annos nobis concessit, toto pectore Patrem liberatoris nostri Iesu Christi orantes, ne facem verbi sui, hae postrema mundi senecta ministerio Lutheri accensam, & per Cancellarium nostrum: piæ memoriae, fideliter conseruatam, & propagatam, propter multorum ingratitude, & persecutionem extingui sinat, sed per spiritum suum sanctum propitiis foueat, iuxta dulcissimam promissionem: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo: non recedent ab ore tuo, neq; ab ore seminis tui, usq; in æternũ.

Et licet parem optare magis, quam sperare possimus: tamen sicut sublato Elia, Elisæum concessit & substituit: ita ardentibus votis à Deo Opt: Max: petamus, vt proptius excitet et præficiat virũ alterum, cuius opera salutaris sit Scholæ & Ecclesiæ nostræ. Potest enim & per infirma interdum organa, multa facere salutaria. Sicut Apostolus testatur, inquiens: ad hæc autem quis idoneus, aut sufficiens? Et respondet: *inavórtus*, idoneitas vel sufficientia nostra ex Deo est, qui facit, vt labor noster non sit irritus in Domino. Huic soli vero Deo & Domino, Patri æterno: Deo & Domino filio eius coæterno: & Domino Deo Spiritui sancto, procedenti ab vtroq; ab æterno, trino & vni, honor sit laus & gloria in omnem æternitatem, Amen.

men.

DE

36

DE BEATO OBI-
TV, REVERENDI ET CLARIS-
SIMI VIRI: D. IACOBI ANDREAE, S. S.
Theologiae D. & Professoris cele-
berrimi, &c.

PROGRAMMA,
RECTORIS UNIVERSITATIS SCHOLA-
sticae Studij Tubingensis

Andreae Planeri Athesini, Medicinae Doctoris.



*VM SANCTVS ILLE DEI VIR
& Propbeta sublimis, Elias, rebus exi-
meretur humanis, et ignito curru per tur-
binem ad caelos ascenderet, eius successor
& discipulus Eliseus, in hac prorupisse
verba, quarto Regum cap. 2. scribitur:
PATER MI, PATER MI, CURRVS ISRAEL
ET EQVITES EIVS. Quibus verbis non modo
dium suum affectum, & ingens ipsius, quod reliquerat de-
siderium, exprimere, sed etiam muneris atq; officij, quod in
terra gesserat Helias, dignitatem et amplitudinem descri-
bere nobis voluit. Bis repetita voce, eum appellat, P A-
TER MI, PATER MI, quoniam paterno amore
à teneris annis eum complexus fuit, ad veram Dei agni-
tionem perduxit, in caelesti doctrina, ut complures alios,
fidelissimè instituit, imò praeceteris ipsum dilexit, & sem-
per secum, ut spectatorem & testem complurium miracu-
lorum,*

Programma Rectoris,

lorum, qua confirmande verae Religionis causa passim edidit, habuit. Et quo nihil paterna benevolentiae desiderari possit, ita probe Eliseum de vero Dei cultu instituit, ut etiam successorem eum reliquerit, & spiritum suum, quem duplicem exspectat sibi dari, communicarit, quod & ipse post discessum Eliae populum Israel in vera religione erudire & instituerere recte valeat, quas multas ob causas, merito optimoq; iure, patrem suum, Heliam vocavit, ipse propheta Eliseus. Officij autem, quo in Regno Israelitico functus fuerat Helias, necessitatem & eminentiam perstrinxit, dum subiicit, CVRRVS ISRAEL ET EQVITES EIVS. Ut enim in remilitari currus praesidio & munimento esse solent, quo minus hostes in exercitum irruere, impetusq; facere possunt, ita quoq; S. propheta Elias, toto suo tempore, precationibus Israelitas, aduersus omnium hostium insultus, tutos praestitit. Et ut equitatu hostiles copia deficiuntur: ita quoq; propheta Elias, Baaliticus cultus, qui in toto Regno Israelitico inualuerant, doctrina sua destruxit & euertit. Quod Eliae in caelum raptus, quasi extremum Vale dicturus acclamavit S. Heliseus, hoc etiam Ecclesiae & Scholae nostrae, Reuerendo & Clarissimo viro D. IACOBO ANDREAE S.S. Theologiae Doctore & professori longe celeberrimo, Academiae Cancellario & Ecclesiae Praeposito vigilantissimo, nudiustertius placide & pie in Christo defuncto, lugubri voce, Pater mi, Pater mi, currus & equites nostri, acclamare possunt. Etenim et hic ceu alter Helias, annos quadraginta quatuor, Christi populum plane paterno affectu & sollicitudine complexus,

de beato obitu Iacobi Andreae D.

complexus, in pura & sincera doctrina Euangelij fidelissimè instituit, nec viua tantum voce, consolando, docendo, monendo, hortando magno animi zelo & ardore erudit: verùm scriptis utilissimis, in totum Christianum orbem sparsis, veram de Deo Doctrinam, non minus quàm Diuus Lutherus ante annos quinquaginta & circiter plantauit, propagauit, & contraria hereticorum impia ac blasphemadogmata, de grauissimis fidei nostrae articulis, ne oues Christi ab ijs seducantur, acerrimè & heroico planè spiritu confutauit, et causas impietatis eorum ita oculis omnium subiecit, vt quisq; talium hereseon patronos vtrunq; pelle ouina indutos dignoscere, nec pro bonis pastoribus & sinceris Ecclesiarum Doctoribus, sed mercenarijs, imò lupis rapacibus habere possit, quemadmodum prior quoq; Helias Sacerdotum Baal fraudes & imposturas gnauiter detexit & aperuit. Porro hanc suam imò Christi ipsius doctrinam, non in patria solùm, sed etiam apud alios, sepè etiam infensissimos hostes intrepidè est professus, semper in animo & ore habens dictum illud Saluatoris nostri Christi: Qui me confessus fuerit coram hominibus, cum etiam ego coram patre meo confitebor.

Nam vix dum adolescens propter singularem ingenij dexteritatem, Φιλοσοφίας & alias eximias dotes Stutgardiana Ecclesiae Diaconus factus, cum mox in agrum Vuirtenbergicum, copia Hispanorum passim, & etiam in ciuitate Stutgardiana vagarentur, etiam presentibus Hispanis liberas conciones habuit, cum humanioribus & doctioribus eorum, de capitibus fidei nostrae disseruit, & erro-

Programma Rectoris,

res Pontificios egregie taxavit & reprehendit. Mox cum ministri ab Ecclesiis propter τὸ μεταξὺ, Interim Latini nominant, propositum, remoti essent, ipse Tubingam se contulit, & silentibus omnibus, conciones non sine periculo habere cepit, quo tempore etiam summo viro D. Brentio, pie memoriae innotuit, qui postea semper ipsum filij loco dilexit, germanicos quoque psalmos ac hymnos decantari à populo iterum in Ecclesiis contra multorum Pontificiae Religionis voluntatem & conatus instituit. Mutatis postea temporibus, Göppingensi Ecclesiae aliquot annos laudabiliter praesuit.

Hinc ob praecellentem & excellentem rerum sacrarum cognitionem multarumque rerum experientiam, ab Illustrissimo et sapientissimo principe Diuo Christophoro, Duce Vvürttembergico, Scholae nostrae Cancellarius, & Ecclesiae prepositus datus est. Quo munere summa fide, diligentia, & magno seruuore animi; multos annos egregie functus est, docendo, disputando, declamando, consulendo, errata iuuentutis corrigendo, nullum boni praeceptoris, aut potius pij patris praetermittendo officium, existimans semper non minus ad se pertinere curam disciplinae scholasticae, quam ut alias bonis artibus & scientijs recte informetur adolentes, prospicere: Cum qui in moribus deficiat & in literis proficiat, plus deficiat quam proficiat.

Taceo hic multas necessarias profectioes à Principibus illi inunctas, ut Gallicanam, Danicam, ad Diuum Maximilianum secundum, Imperatorem Romanum, ad plerosque

de beato obitu Iacobi Andreae D.

plaresq; principes Germania, ad multas synodos, ac eollo-
quia in Imperio instituta, ad multas ciuitates dirimenda-
rum multarum grauissimarum in Religione controuersia-
rum causa. In quibus omnibus singularè ipsius ingenij lu-
men, eloquentia, & in componendis eiusmodi causis mira
dexteritas ita eluxit, ut in maximo precio et honore à sum-
mis habitus semper fuerit, quod omnes norunt & predi-
cant, qui cum eo legationes obierunt, aut consilijs Ecclesia-
sticis ipsius interfuerunt aliquando.

Hoc ergò præclarissimo & incomparabili Theologo,
vera Religionis Antistiti, & propugnatori acerrimo, pa-
tre, curru & equitatu, cum orbata nunc sit Ecclesia & scho-
la nostra, iustissima certè de causa in magno luctu & mæro-
re omnes sumus, non quod ipsi aliquid mali acciderit, ut
qui sibi quidem maturè, nobis autem, Ecclesia & schola
nostra importunissimo tempore, ex hac misera & arumno-
sa vita, in cœlestem patriam raptus, non minus triste sui,
atq; Helias ipsi Heliseo reliquit desiderium.

Ita verò placidè mortuus est, ut non mori, sed obdor-
miscere, omnibus astantibus, ne minimo quidem appa-
rente corporis motu videretur: cum pridie eius diei senti-
ens sibi instare extremam horam, vocasset ad se Rectorem,
Decanos & aliquot amicos & Ministerij Ecclesiastici Col-
legas omnes, clara, & diserta voce, constanti animo piam
& luculentam fidei suæ edidisset confessionem, quam qua-
draginta quatuor totos annos publicè et priuatim in scho-

Progratissima Rectoris,

lis et Ecclesiis professus fuerat: de qua dixit se nequaquam dubitare, sed presente animo velle coram tribunali Christi Iesu & confiteri & defendere, eam ultimo accepta coena Dominica ex manibus pastoris Ecclesie nostrae confirmavit, cuius actus totius nos omnes, qui interfuimus ipsi, ad posteritatem, contra inuidorum & calumniatorum maledicta & conuitia, testimonium perhibere non dubitamus.

Et quia hodie hora tertia, ad signum campanae viro illi laudatis: de scholis & Ecclesiis optime merito funus fiet, ad illud honorificentissime deducendum, omnes nostrae

Iurisdictioni subiectos, cuiuscunq; ordinis & dignitatis sint, serio hortamur. Per scriptum

Tubingae, Anno M. D. XC.

Nono Ianuarij.



FAMILI

FAMILIÆ, SCHOLÆ, ET EC-
 CLESIAE, AD D. IACOBVM AN-
 dreæ, querela, & eiusdem ad easdem re-
 sponſio, & valedictio.

*C*hare pater, vatesq; Dei, dignissime Praesul,
 Flet soboles, gemit auditor, lugetq; pius grex,
 Hanc quòd, quòdq; scholam sacram quòd deseris adem.

RESPONSIO.

*Cum domus, & docilis grex, cumq; schola inclyta, & orbis,
 Pignoribus, verboq; Dei, calamo, atq; meatu,
 Aucta sit, instructus, celebris, percursus ubiq;
 Sat genui, institui sat, scripsi, satq; me Laui.
 Filioli, Exemplumq; dedi monuiq;, valete.*

Balthasar Eisengrein V.I.D.
 Illustrissimi Ducis Vvürt-
 tembergici Consiliarius, &
 Ecclesiastici Consistorij Di-
 rector defuncto Socero suo
 charis. piet. ergò faciebat.

K 3

EPICE

EPICEDION EIDEM D. D. IACOBO
ANDREAE, &c. AVO SVO
dilectissimo.

Iohannes Iacobus Eysengreinius pietatis ergo, f.

Sanctus in hoc misero cum viueret orbe Lutherus,
Diuini verbi plurimus hostis erat,
Per quem perpetuis Ecclesia sancta procellis
Religioq; graui iacta furore fuit:
At huic ceu clades pestisq; suprema Lutherus
Exitit, ablatu funere donec erat.
Hoc moriente, malo lasa est Ecclesia damno,
Ipsius & cecidit lucida stella simul:
Heresis at contra passim crescendo reuixit,
Ac hostis rabie saeuit usque sua
Ergo necesse virum fuerat prodire secundum,
Qui premeret studijs tela inimica suis,
Auderet tanta qui se concedere pugna,
Qui fidei gladio fortia bella daret,
En pius Andreae Doctor, Zeli impete ductus,
Aris tum seruit, seruat, easque regit,
Et multos inter medios interitus hostes,
Hos errare sua voce styloque refert.
O felix, nimium felix Germanica tellus,
Quod Deus hoc voluit te decorare viro,
Sollicitè quem terra petit peregrina Theandrus,
Hic ut ubi veram monstrat ad astra viam.
Is pater, is, nostri fuerat qui auriga Lycei,
Et rector sapiens Tentoniaeque decus,

Morte

40

E P I C E D I O N.

Morte obiit nuper, cui plurima dira precamur,
 Invidit nobis hunc quod iniqua virum,
 Quem nec opes vlla, gemmarum pondere nulla
 Reddere nullum aurum vota que nulla queunt.
 Ite, ite in lachrymas, patres proceresque Tübingæ
 Nam vestri cecidit pars bona concilij
 Ite, ite in lachrimis, questusque ciete supremos
 Vos, quibus est cordi concio sancta Dei,
 Non porrò **ANDREAE** mira gravitate **IACOBVS**
 Proponet verbum feruidus ore sacrum.
 O quam mæsta dies, ò lux tristissima fletus
 Quis teneat? quis non unguibus ora notet?
 Quis non det summi vel maxima signa doloris?
 Defunctumque meum iure queratur auum?
 Quis mihi sat lachrimas dabit, heu mala fata Iacobum
 Nobis dilectum quòd rapuistis auum?
 Iam mecum reputo, mortem quod dixerat ante
 (Semper verba mihi hæc intima corda mouent)
 Disce Iacobe, bonas artes, pius esto, modestus,
 Experieris aui tum benefacta tui.
 Spes hominum fallax, proponunt hi sibi multa,
 Sed veniens subito mors truculenta negat.
 Vt mihi: qui tenui sperabam sæpius ultrò
 Exhilarare meum carmine velle senem:
 Fata negant, atque ipse Deus negat, & tamen ipsum
 Angelici exhilarant carmina læta chori.
 Non ita cui pridem thermarum à fonte reuerso
 Incolumi cecini carmina lætus auo:

Hunc

EPICEDION.

Hunc mea nunc deflet summis elegãa querelis,
O fallax hominum vita nimisq; brevis,
Vita caduca, fugax, fragiliq; simillima bulla,
In qua nil nisi crux, nil nisi luctus inest,
Nascimur in lachrymis, lachrymis traducimus ævum,
Et tandem in lachrymis languiduli morimur.
Ergò cessemus defunctum flere IACOBVM:
Eius enim magno vita labore sterit.
Iam fruitur vita oælesti, aurãq; quietis,
Nos sed adhuc miseros vita dolenda manet.
Verum, Ave, dulce decus, tutorq; paterq; fidelis,
In cælis superis gaudia magna cape,
Dum letho simili subeamus cælica regna,
Rursus ubi nobis conspiciaris. Amen.



IN

41

IN OBITVM D. D.
IACOBI ANDREÆ THEOLOGI
CELEBERRIMI PARENTABAT SA-
MUEL HVBERVS, HELVETIVS
BERNENSIS.

I Pater: & cœlis requiescito plene laborum,
Es Caluos vltus Pontificumq; dolos:
Est satis: insidias turgentis fraude Grynei
Patria percepit, te monitore, mea.
Sic spero, sic fata canunt. sic cœlitus illa
Hora venit, fallax vt retegatur homo.
Tu requiesce Pater: tentant si spicula tumbam,
Fortiter in Domino discutiemus ea,



L VITA

VITA, ET MORS,
REVERENDISSI-
MI ET CLARISSIMI VIRI DO-
MINI IACOBI ANDREAE, S. S. THEO-
GIAE DOCTORIS EXCELLENTISSIMI,
Præpositi Ecclesiæ vigilantissimi, Cancellarij, & Profes-
foris Academiae Tübingensis longè dignissimi, & cele-
bratissimi: Viri & HEROIS in propugnanda, & propa-
ganda cœlestis doctrinæ veritate incomparabilis, incredi-
bili omnium piorum luctu, Tübingæ, Anno 1590.
Die 7. Ianuarij constantissimè, pijsimè, & pla-
cidissimè in Christo mortui: com-
pendio exarata ab

ERHARDO CELLIO, IBID.
Poët. & Hist. Professore.

DEFUNCTVS LOQVITVR.



*I*lle ego, Gymnasij qui Cancellarius
alms,
Quiq; Tubingana Præses in ade
fui:
Qui prope lustra nouem sum scri-
pta sacrata professus:

*Qui fuerim: vt nôris, accipe posteritas.
Martij erat celebrem vigesima quinta per annum,
Fernandum Regem quo Buda fecit ouans:
Me Vvayblinga dedit cùm Vvürtembergica luci:
Stuccardum studij pðst Elementa dedit.*

Inde,

D. D. Jacobi Andreae

*Inde, Tubinga, tuis caepi conuiuere, Musis,
 Et pars Stipendi digna Ducalis eram.
 In Sophiae studijs mihi ductor Schegkius, & dux
 Snepffius in sacris Doct̃or Erhardus erat.
 Ingrediens quarti medium per amabile lustr̃i,
 Iura Magisterij plenus honore tuli.
 Ingenuas annum docui non segniter artes,
 Moxq̃, pio Coniunx factus amore fui.
 Entringera mihi pia contigit Anna, nouemq̃,
 Hac Natos, Natas hec totidemq̃, dedit.
 Nec mora Stuccardum sacra doctum ritè vocatus
 Hic Christi docui fidus & acer oues.
 Cum foret Vlrici fors inclinata, Tubingam
 Ad studium redij percoluiq̃, sacrum.
 Vt Ducis Vlrici fors rursus erecta, Tubinge
 Sum rursus Christi pascere iussus oues.
 Quattuor hic actis, Goppingam transferor, annis:
 Illius hoc ciues expetière loci.
 Hic duo lustra docens sancti mysteria verbi,
 Hac Superintendens in regione fui.
 Inde Tubinga gradū mihi contulit inclyta summū:
 Doct̃orisq̃, sacri nomen habere dedit.
 Hinc mihi commissum benè pascō fidus ouile:
 Nec minus externas pascō vocatus oues.
 Ac duo lustra mihi Goppinga rursus aguntur,
 Cum Deus hinc alium vult habitare locum.
 Nam Dux Christophorus, fama super aethera notus,
 Vvürttembergiaci duxq̃, paterq̃, soli:*

L 2

Hinc

Vita, & Mors

Hinc me profecit Temploq³, Scholaq³, Tubinga,
Vt studijs essem ductor utrique meis.
Illius Antistes: sed Cancellarius huius:
Huius & auferem voce Professor opes.
Et subij summis hac omnia viribus, atque
Laudibus hac summis me subijsse reor.
Sacra docendo potens, quo nemo potentior ore,
Inq³ Scholis aequè sacra docendo potens:
Dissertando potens, bellumq³ paratus ad omne,
Epugna palmam tollere doctus eram.
Consiliando potens, ut Cancellarius, omni
Dote potens, omni laude & honore potens.
Nec consulta Duci mea displicuere: probavit
Optimus in causis Dux mea verba sacris.
Singula quid referam? mea cura Ecclesia Christi
Vrbs hac cura fuit: hac Schola cura fuit.
Excolui variè, feci oblectabile Templum:
Iam domus est multis clarior illa modis.
Automato feci resonare cacumina turris:
Inclyte, sed sumptu, Dux Ludouice, tuo.
Pluraq³ facturus, duce & auspice Principe tanto,
Talia, per mortem si licuisset, eram.
Quodq³ domi feci, feci foris impiger: acta
Cuncta Deo cupiens, cuncta placere Duci.
Cænobia in medio direxi sacra ducatu,
Hæcq³ bonas feci semper habere Scholas.
Scripta quid enumerem mea magno facta labore?
Contra hostes verbi, maxime Christe, tui?

Latomus

D. D. Iacobi Andree.

Latomus ut, Bredebach, Staphylusq̄, Hosiusq̄, aliq̄.

Romaniq̄, Dei, Cingliadumque cohors.

Singula qui dicat sexcenta dicat oportet,

Quæ volitant hodie, docta per ora virum.

Quot, precor, errantes à recti tramite, flexi,

Et duxi in veram restituiq̄, viam?

Pontificis lolium multis euulsimus aruis,

Quæque nocens per agrum creuit auena Dei.

Sicq̄, Duces, Comites, Dominos, sic oppida iuui,

Et rectam docui rursus inire viam.

Sicq̄, tuis dempsi, Badensis Marchio, Templis,

Carole, Romani vincula dura iugi.

Sicq̄, Bipontini purgavi templa Palatii,

Sectarum feci sic procul ire dolos.

Sic Helffenstenios Comites Papale colentes

Dogma piam feci rursus amare fidem.

Tumq̄, canes inter pedibus qui appensus, Hebraeum

Conuerti, docui credere, & inde mori.

Sic Oetinganos Romana ad castra relapsos,

Ad veri feci castra redire Dei.

Sic Roteburgeam Tuberani fluminis urbem

In verum duxi religionis iter.

Sicq̄, repurgavi Vvachtorffi Nobilis ædem,

Præsulis Ausonij qua maculata fide.

Sicq̄, suis etiam vacuavi sordibus Alam,

Imperij partem que Latialis habet.

Sic Haganouæum seruavi fidus ouile,

Romanum fallax quod male strinxit iter.

L 3

Sicq̄

Vita, & Mors

*Sicq̄ Ducis Iuli Brunsvuigia templare feci,
Romane fidei squallida tota situ.*
*Sicq̄ sub Augusto nebulas Duce Saxone vici,
Quas dederat verbo Cinglica turba Dei.*
*Sic Liber ut fieret, quo tum Concordia facta est,
Difficilis subij grande laboris onus.*
*Sic Reginopoli discordi mente Ministros
Composui, veterem restituiq̄ locum.*
*Sic Onltzbachia pastori obstruximus Aule
Os falsum, & Cingli futile dogma loquens.*
*Addo quod externas in Legatus in oras,
Tractandum cum de Relligione fuit.*
*Carolus id nouit, Fernandus, & AEmilianus
Maximus, & sceptrum qui modo Caesar habet.*
*Id Reginopolis, Franckfurtum, Augusta q̄ nouit:
Noueruntq̄ alij non sine laude loci.*
*Aq̄ meo quoties varios sum missus in orbes
Principe, cum sancti causa laboris erat?*
*Cum socianda foret Fidei Concordia nostra,
Que loca Germani non mihi visa soli?*
*Me Soltum plures hinc indeq̄ Bruma per annos
Vel maris Eoi tangere vidit aquas.*
*Heu tum quot subij dubia discrimina vita?
Tum quoties morti proximus ipse fui?*
*Tum mihi dextra dedit Fautoris iniqua venenum,
Cuius adhuc moriens visus habere notam.*
*Quid memorem quoties, rerum voscante tumultu,
A Duce Colloquijs iussus adesse meo?*

Cum

D.D. Iacobi Andreæ.

Cum visa, Henrici post regis fata secundi,

Gallia sincera religionis amans:

Cum reliquis (quanquam frustra) Doctoribus illis

A Duce Legatus mittor & Ipse meo.

Cum sacra Colloquium faceret Vvormatia sacrum,

A Duce cum reliquis mittor & Ipse meo.

Cum sacra Colloquiū faceret Maulbronna sacratū.

A Duce cum reliquis mittor & Ipse meo.

Cum sacra Colloquium dedit Argentina sacratum,

A Duce cum reliquis mittor & Ipse meo.

Cum sacra Colloquium faceret Memminga sacratū,

A Duce Legatus mittus & Ipse meo.

Cum sacra Colloquium faceret Lindoia sacrum,

A Duce Legatus mittor & Ipse meo.

Cum quoq; Colloquium dedit vrbs Hertzberga sa-

Iussit Anhaltinus Saxo coire viris. (cratum,

Cum Mompelgarti similis proponitur Actus,

A Duce cum reliquis mittor & Ipse meo.

Cum dimisissent Huberum Helvetica Templa,

A Duce cum reliquis mittor & Ipse meo.

Cum Bada Colloquium petisset Marchica sacrum,

A Duce cum reliquis mittor & Ipse meo.

Hac fuit extremus mihi publicus actus in vrbe:

Colloquium abruptum cum sine fruge fuit.

Namq; domum rediens gelida per frigora Brumæ,

Asperiora quibus nulla fuere prius:

Acta Duci retuli: redij ad mea munia: scripsi

Colloquij qualis debuit esse status.

Vix



Vita, & Mors

Vix ea finieram: cum me suprema iubebat
Hora Deo vitam reddere morte meam.
Tum mihi pleuritis latus inuadebat acuta,
Angustans pectus nocte dieq; meum.
Tum mea quo fidei minimè Confessio fallax
Omni constaret, post mea fata, modo:
Stuccarto Proceres inssi venerè sacrati,
His fidei exposui sensa suprema mea.
Tum quoque prima Scholæ curavi fulcra vocari,
His fidei attestans ultima verba mea.
Vt docui semper, mea sic extrema voluntas,
Perpetua est fidei norma tenaxq; mea.
Sat scio iam dictis hostis me rodet acerbis,
Inq; meum iaciet crimina falsa caput.
Et Romana cohors, & Cinglica turba triumphans
Dicet, Io, Andrea mortuus ille iacet.
Vos rogo Collegas sancti pia membra Senatus
Asserite innocuum hoc tempus in omne caput.
Vos mores nostis, vitam vos nostis, & omnem
Vos animum nostis, consiliumque meum.
Ardua mi dederat Deus, & mihi munia Princeps,
His omni studium parte vacare fuit.
Quinetiam studui nostro conformiter oriri
Viuerè, & exemplo verba probare meo.
At si fors aliquis nostros reprehenderit actus,
Is memor humane debilitatis erit.
Non Deus Angelica nos integritate creauit:
Subiacet humanis lapsibus omnis homo.

Ingeni

D. D. Iacobi Andreæ.

Ingenti docui cœlestia dogmata zelo,
 Officij feruens in statione mei.
 Si quibus offensam mea dicta seuera creârunt,
 Officio tribuant talia cuncta meo.
 Osor eram vitij, scelerumq; acerrimus hostis:
 Hinc cura mores & pia vita mihi.
 Hinc disciplinam cupij florere per urbem,
 Perq; Scholam: hancq; Dei iussa seuera volunt.
 Si tamen in quenquam quicquã nimis acriter actũ
 Quisquis erit, veniam, spero, rogog; dabit. (est,
 Hæc cum Collegis ubi voce peracta suprema,
 Peccati qua par agnitione mei:
 Immotag; fide merito confisus Iesu,
 Qui pro peccatis victima facta meis:
 Sum cœna Domini, multis astantibus, usus:
 Ut mihi per mortis dux foret ille vias.
 Hoc duce, nil Sathanã, nil mortem curo, nec Orcũ:
 Namque mihi Christus vita, lucrumq; mori.
 Huic animam trado, telluri corpus humanum:
 Hæc in supremo glorificanda die.
 Ergo ubi spiramen iam morbus ademerat omne,
 Reddo animam, Domino sic moriorq; meo.
 Quem colui, docui, scripsig;: domi, forisq;
 Cuius eram viuus, mortuus huius ero.
 Commoda si qua tibi studijs, Ecclesia, nostris
 Sunt data, cœu cornu diuite spero data:

M

Vsque



Vita, & Mors D.D. Jacobi Andreae.
Usque Deo memori dignas age pectore grates:
Et tamen Andreae sis memor usque tui,
Quae potui feci, studio tibi deditus omni:
Seruus ubique tuus, miles ubique tuus.
Tu quoque, Christe, meos semper tueare Nepotes,
Atque fac hos verbum semper amare tuum.

AD CANDIDVM
LECTOREM, IDEM
E. C.



*Ecquid, ais? plures an non cecinere
Carmina
In tanti mortem carmina mæ-
sta viri?
Non tantum plures, sed plurima
Musa Tubingæ,
Inq; alijs cecinit carmina docta locis.
Carmina venerunt Graio currentia gressu.
Venerunt Latio plurima ducta pede.
Venerunt plures lugubri carmine lingua,
Aparuntq; suos in pia metra sonos.*

Omnia

AD CANDIDVM LECTOREM.

Omnia luctificum sunt deplorantia casum,
 Fata quòd hunc tantum surripuere virum.
 Sed quod huic iam nunc Sermone hæc addita non sunt,
 Chalcographus properans causaq; tempus erant.
 Accamen & prelum paulò post illa subibunt,
 Inq; manus venient, Lector amice, tuas.
 Hæc oculis etiam te non adijisse pigebit,
 Si mouet ablati te pia causa viri.
 Magnorum certè gemitus, suspiria, voces
 Sunt querula, lacryma, sunt pia vota virum.
 Perlege, condoleas, geme, fle, pie Lector: & imo,
 Sarcinat ut damnum hoc, corde precare Deum.

ERRATA.

a. priorem faciem. b. posteriorem denotat.

A. 2. b. lege amorem. A. 3. a. lin. 4. origine.
 E. 3. a. conuentus. Ibid. b. Electoratu, & exantlauit.
 H. 1. lin. 8. medicinam. Ibid. 2. a. lin. 7. à fine, inci-
 dentibus, Et 3. lin. 2. dele, se.

In Carmine D. Balthasaris
Eisengrein.

In versu penultimo, pro me laui legendum me aui.
 In vltimo post exemplumque dedi, virgula ponenda.

AD CREDITUM IN TECTORE

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN

ST. MARTINI BRUNNEN



46 ⁴/_{n, 2}

AB 46 ⁴/_{n, 2}

ULB Halle


3


002 814 994



SB







B.I.G.

Farbkarte #13



NEBRIS,
bitu,

NDI ET
PIETATE, ER V,
ET VSV, ATQVE
*Iacobi Andrea, sacrosanctae
leberrimi, & incompara-
Cancellarij, & Prepo-
mi, Habita,*

S. THEOLOGIAE,
Tubingensi Collega ipsius.



G AE,
m, Anno 1590.

3
1

